Aristophanes

Hermann Täuber

De usu parodiae apud

Aristophanem.

Nachricht

von dem

Königl. Joachimsthalschen Gymnasium

(Michaelis 1848 bis dahin 1849).

Vorausgeschickt ist:

Eine Abhandlung des Herrn Adjunct Hermann Täuber:

De usu parodiae apud Aristophanem.

Berlin.
Gedruckt in der Druckerei der Königlichen Akademie
der Wissenschaften.

1849.

De parodiae apud Aristophanem usu quum aliquid scripturum me profiteor, vereor ne rem videar tentasse et copia uberiorem quam quae brevius perstringi angustiusque coartari queat, et ipso genere ita comparatam ut in toto aliquo corpore planius rectiusque quam in articulis quibusdam a corpore seiunctis cognoscatur. Veruntamen hanc instituti rationem sic quoque habituram confiderem quo vel probaretur harum literarum studiosis vel aequi bonique consuleretur, si ut ipse huius rei animo informavi speciem ita eam nunc quidem liceret pertractare. Nam quum constaret Aristophanem singulorum nobilium poetarum carmina saepe in usum suum convertisse, nec pauca ex iis delibasse quibus orationem suam quasi museo contingens cuncta lepore adornaret: quoniam id quo in singulis locis consilio quove animo fecerit diligentius perquirere haud inutile visum est, huic rei quae ad poesin eius recte aestimandam non mediocriter valeret, in legendis eius fabulis animum intendendum operamque paulo maiorem dicandam esse censui. Quo in opere quum saepe multumque repetita lectione opus esse senserim, non unum Aristophanem sed omne illud literarum genus quod aliqua cum his fabulis coniunctione tenetur quam latissime complexa, nunc quidem satis habere cogor si singulos locos ordine digestos ac dispositos attulero, quibus haec quaestio adumbretur potius quam ex omnibus partibus pertentetur et absolvatur.

Iam vero quod parodiae voce usus sum eoque nomine consuetudinem illam Aristophanis significavi ut ingenii cuidam licentiae indulgens aliorum poetarum locos arbitratu suo transformatos suae orationi insereret, sive imitatoris agere partes sive irridendi ac lacessendi studio duci videretur: in eo ne temere egisse videar, de ipso hoc vocabulo, quoniam nostris temporibus alienam potestatem adiunctam sibi usuque hominum attributam accepit, quid primum valuerit et quot modis accipiatur dicendum videtur pluribus. Ac primum quid esset parodia, grammatici et commentatores veteres paucis locis attigerunt potius quam explicaverunt, ut veram et propriam quam verbo tribuerint significationem rectius ex iis scriptorum locis colligas, in quibus interpretandis hanc ipsam vocem tanquam more receptam et vulgo notam usurparunt. Atque hic quidem vocis usus qui apud veteres obtinuit ad ipsam eius originem proxime accedit. Eam si respicimus, παρῳδία est carminis alicuius ad alterius similitudinem compositio, et ita fere explicat Quintilianus quum dicit (IX, 2, 35): „incipit quo„dam modo esse παρῳδή, [sive παρῳδία.] quod nomen ductum a canticis ad aliorum „similitudinem modulatis abusive etiam in versificationis et sermonum imitatione ver„satur." Itaque haec vox invaluit ad illud carminum genus designandum, quo versus alieni et maxime qui notissimi erant populo Homerici leviter immutati lepide in aliam

sententiam deflexi essent. (*τῶν ἑξαμέτρων ἐπὶ τὸ γελοῖον παρῳδαί* apud Athenaeum XIV p. 638 B.) Idque epicae poesis genus, quod ex Athenaei pluribus locis cognoscimus(1), ipsum quoque ab aliorum versuum imitatione nomen habet; nam quod versibus in ludibrium detortis risus captari solitus est, id adventicium est aliquid et in rei potius natura quam in vocabuli origine positum. Iam in comoedia quum alienorum versuum imitatio sedem suam haberet et tragicorum potissimum locos in eam admissos esse animadversum esset, factum est ut ibi quodcunque e tragicorum fabulis translatum videretur, a potiore illo usu notaretur nomine parodiae. Ita Schol. Aristoph. ad Acharn. v. 8 *τοῦτο παρῳδία καλεῖται ὅταν* (leg. *ὅ τι ἂν*) *ἐκ τραγῳδίας μετενεχθῇ*. Idem apud Suidam, qui iisdem copiis uti solet, iisdem fere verbis repetitum legimus(2), additumque postea *καὶ παρῳδήκει: ἄλλην ᾖσεν ᾠδήν*. Atque ut exemplum ipsum quod illo loco profertur (*ἔστι δὲ τὸ ἡμιστίχιον — ἐκ Τηλέφου Εὐριπίδου, ἔχον οὕτως· κακῶς ὄλοιτ' ἂν, ἄξιον γὰρ Ἑλλάδι*) nihil habet quod in ludum verti potuisse videatur, ita haud pauci in scholiis exstant loci, quibus parodiae illa voce quum simul auctoris nomen additur nihil aliud nisi aliena versuum vel etiam dictionum singularum origo significatur, ac non irrisionis sed imitationis consilium proditur. Conf. imprimis Schol. Equ. 1098, 1329, Vesp. 1063, qui loci infra afferentur(3).

Quoniam vero in comoedia aliorum poetarum loci persaepe ita proferebantur ut in ludibrium converterentur, paulatim factum est ut hoc quoque irridendi consilium voci subiiceretur, non ut proprium et primarium sed ut secundarium aliquid et usu potius adhaerescens. Ita primum ut videtur in Hesychii lexico: *παρῳδοῦντες: παρατραγῳδοῦντες· χλευάζοντες ἢ λέγοντες*(4); eaque parodiae species ut ab universo

---

(1) Vid. imprimis Athen. XV p. 698 sqq. et conferendus Bernhardy in graec. liter. historia II p. 920 sqq. Ibi qui citatur Moserus, de poesi parodica Graecorum commentatus (a. 1810) etiam parodias Aristophaneas ex aliqua parte in quaestionem vocavit. Idem argumentum brevius sed diligenter tractavit Eckstein in Encyclop. Halensi (1839).

(2) Suidas (II, 2 p. 133 Bernh.) *παρῳδούμενος: λεγόμενος. καὶ παρῳδία: οὕτω λέγεται ὅταν ἐκ τραγῳδίας μετενεχθῇ λόγος εἰς κωμῳδίαν. οἷόν ἐστι τὸ, ἄξιον γὰρ Ἑλλάδι παρ' Εὐριπίδῃ καὶ Ἀριστοφάνει εἰρημένον.*

(3) Accurate ad hunc usum animum attendit et primus quod sciam locos qui huc pertinent e Scholiis Aristophanis congessit Firnhaber in exordio „Commentationis de tempore quo Heraclidas composuisse Euripides videatur", quae prodiit Wiesbadae 1846. Atque eodem plane significatu in Scholiis dici *παρὰ τὸ* (*τὰ*) *Εὐριπίδου*, quo *παρῳδεῖ τὸ Εὐριπίδου*, idem V. D. demonstravit. Ceterum perquam inepte Scholiastas in singulis locis quibus parodiam admissam vellent statuisse, id persequi non huius loci est. Exempli causa proferam Pluti v. 90: *ὁ δέ μ' ἐποίησεν τυφλόν, | ἵνα μὴ διαγιγνώσκοιμι τούτων μηδένα*, ubi Schol. *παρῴδηται ἐκ τῶν Ἡσιόδου· κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισιν.* et eiusd. fab. v. 253: *ὦ πολλὰ δὴ τῷ δεσπότῃ ταυτὸν θύμον φαγόντες*, Schol. *θύμος εἶδος βοτάνης εὐτελοῦς· τίνες δέ φασιν ὅτι παρῴδηται ἐκ τῶν Ἡσιόδου. οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.*

(4) Ultimum hoc *λέγοντες* quum non integrum esse appareret, *ἄλλο λέγοντες* D. Heinsius coniecerat, cautius H. Steph. *κατὰ παρῳδίαν* vel *ἐν παρῳδίᾳ λέγοντες*. Speciosius quam verius illud est quod T. Faber tentaverat *ψέγοντες*, quod miror probatum esse in Thes. Steph. ed. Paris. — Ex eodem fonte manavit quod est in Photii et Suidae lexicis et Bachmanni Anecdotis, *παρῳδούμενος: λεγόμενος.* Aliter Zonaras p. 1519, *παρῳδήκει: ἔξω τῶν γεγραμμένων εἶπε* h. e. „verbis usus est alio consilio quam ab altero scripta erant."

genere discernatur, etiam τὸ σκωπτικῶς παρῳδεῖν dicitur (Eustath. ad Odyss. α, 1. cf. Athen. XIV p. 638 B.)

Revertimur ad Quintilianum, qui quod l. l. dicit „παρῳδίαν abusive etiam in sermonum imitatione versari" id alio loco (VI, 3, 96 sq.) ita distinguit atque enucleat: „adiuvant urbanitatem et versus commode positi, seu toti ut sunt — quod fit gratius si qua etiam ambiguitate conditur; — seu verbis ex parte mutatis; — seu ficti notis versibus similes. Quae παρῳδία dicitur." Tres igitur formas describit, quibus versus per parodiam etiam sermoni admisceri et intexi potuerint. Atque iis quidem omnibus parodiae nomen pariter a veteribus inditum fuisse, ostendunt plures loci et rhetorum et eorum qui in Platonem commentati sunt. Veluti Olympiodorus in Schol. ad Phaedonem p. 69 C: παρῳδεῖ ἔπος Ὀρφικόν. — καί φησιν· πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι (5), et ibid. p. 70 C: πανταχοῦ γὰρ ὁ Πλάτων παρῳδεῖ τὰ Ὀρφέως, Hermias ad Phaedrum p. 241 (p. 90 Ast) τὸ δὲ· ὡς λύκοι ἄρνα φιλοῦσ', ὣς παῖδα φιλοῦσιν ἐρασταί· ἀπὸ τοῦ Ὁμηρικοῦ παρῴδηται· — οὐδὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν (Il. χ, 262, 263). Haec igitur primae et tertiae formae exempla: ad alteram formam pertinet Luciani in Apologia locus p. 717 (Reitz): καὶ ἐν τῷ τοιούτῳ οὐκ ἄκαιρον ἴσως τὴν τοῦ Εὐριπίδου Μήδειαν παρακαλέσαι παρελθοῦσαν εἰπεῖν ὑπὲρ ἐμοῦ ἐκεῖνα τὰ ἰαμβεῖα μικρὰ αὐτὰ παρῳδήσασαν· καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾶν μέλλω κακά· | πενία δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων. In quibus πενία δὲ pro eo quod in tragici Medea est (v. 1074) θυμὸς δὲ substituitur (6). Alteram hanc rationem, qua verba ex parte mutantur, insigni aliquo e Demosthene exemplo illustrat Hermogenes π. μεθόδου δειν. III p. 436 sq. (7). Ceterum haec parodiae species, qua versus proferuntur solutae orationi interserti, etiam παραπλοκή a rhetoribus dicta est (8).

Verum ne quid omisisse videar quod ad parodiae usum pertineat, haec vox in aliam quoque sententiam ita deflexa est ut illud notaretur artificium, quo poeta non aliorum versuum sed alieni oris imitationem exhiberet imagine quadam ad veri-

---

(5) Hunc versum eiusque sententiam multis modis variatam illustrat Lobeck. Aglaoph. p. 813 sq.

(6) Ita παρῳδεῖν, quum singula verba immutata et loco accommodata sunt, dicitur apud Lucianum Charon. p. 510 in., Diogen. La. IV, 52, Athen. VIII p. 364 B, et saepius in Eustathii commentariis Homericis.

(7) Hermogenes: κατὰ παρῳδίαν δὲ (ἐν πεζῷ λόγῳ χρῆσις ἐπῶν γίγνεται,) ὅταν μέρος εἰπὼν τοῦ ἔπους παρ' αὐτοῦ τὸ λοιπὸν πεζῶς ἑρμηνεύσῃ· καὶ πάλιν τοῦ ἔπους (μέρος) εἰπὼν ἕτερον ἐκ τοῦ ἰδίου προσθῇ, ὡς μίαν γενέσθαι τὴν ἰδέαν. οἷον Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ παραπρεσβείας· ὅστις δ' ὁμιλῶν ἥδεται καὶ ταῦτα πρεσβεύων Φιλοκράτει, οὔπώποτ' ἠρώτησα γιγνώσκων ὅτι ἀργύριον εἴληφεν οὗτος, ὥσπερ Φιλοκράτης, ὁ ὁμολογῶν. In oratione ipsa (p. 417 R.) versus qui significantur e Phoenice Euripidis praegressi sunt.

(8) Vid. Hermog. περὶ ἰδεῶν III p. 320 sq. καὶ ἔστιν ἡ Ἰὰς ποιητική πως, διὰ τοῦτο δὲ καὶ ἡδεῖα. τὸ δ' αὐτὸ αἴτιον οἶμαι τοῦ τὰς παραπλοκὰς τῶν ποιημάτων ἐν λόγῳ ἡδονὴν ἔχειν· οἷον, σύν τε δύ' ἐρχομένω βουλευσόμεθα ὅ τι ἐροῦμεν. (conf. Plat. Symp. p. 174 D.) — Ὁ δὲ Πλάτων καὶ ἀφειδέστερον ἐν τῷ συμποσίῳ καταχρησάμενος τῷ τοῦ Ἀγάθωνος προσώπῳ ὡς ποιητοῦ τῇ παραπλοκῇ ταύτῃ ἐχρήσατο. οὐ γὰρ ἀπ' ἀλλοτρίων ποιημάτων τινά, ἀλλ' αὐτὸς ποιήσας παρέπλεξεν e. q. s. Conf. Ioh. Sicul. VI p. 399, παραπλοκὴ δὲ ἡ τοῦ ποιήματος κόλλησις πρὸς τὸν πεζὸν λόγον, εἰ κατὰ σύνθεσιν ἐξαγγέλλοιντο καὶ μὴ κατὰ παράθεσιν cet.

tatis fidem expressa; veluti quum in Vespis v. 45 Alcibiades describitur ita balbutiens ut alia evadat sententia eaque comoediae aptissima. De quo agit Hermogenes ([9]). Denique quum poeta facit aliquem, cuius partes sunt in fabula, ab altero lepide traducta oratione derideri, haec quoque interdum parodia dicebatur, sicut in extremis Acharnensibus Dicaeopolis pacis amantissimus Lamachum ludificatur, quum singula eius dicta ore excipit, iisque in aliam partem detortis multa cum petulantia vexat atque vellicat.

Sed missis his, quae etsi nonnunquam eodem verbo significantur tamen ad aliud ridiculi genus pertinent, iam ad propriam illam et veram parodiam revertamur. Ac primum quidem illa alienorum versuum imitatio patet quam apta fuerit comoediae quamque plane eius naturae responderit. Quum enim id poeticae artis genus quod dramaticum appellamus totum in imitatione actionum versetur, quatenus res a poeta expressae ab hominibus aliam personam in se suscipientibus repraesentantur: ([10]) sumit hoc sibi et vindicat poesis comica ut non res tantum et actiones ipsas hominum idque ratione sua imitetur, sed alia etiam poemata in suos quasi fines traducat, ipsi rerum praesentiae adstringat, sensibusque et auribus subiiciat. Ita quum parodia imitationem quandam exhibeat eorum quae ipsa quoque imitatione contineantur, efficitur ut in vario illo ac multiplici, quod comoedia habebat, ludicri genere nova iam oblectationis causa accedat. Atque parodiam, etiam quum irridendi voluntas non suberat, aliquantum valuisse ad ingenium populi exhilarandum et sensus audientium voluptate quadam perfundendos vix est ut pluribus dicatur; populum enim qui summam delectationem ex omnibus poesis operibus perciperet, eundem qua erat mobilitate ingenii, quum comoediae ludis spectandis adesset, temperata quadam sonorum varietate allici et teneri solitum consentaneum est. Ac quum tragoediae et origine cognata fuerit comoedia et in diversa omnis argumenti ratione utriusque tamen generis maxima intercesserit cum vita communi coniunctio, apparet cur ex tragoedia potissimum singuli loci atque adeo singulae dictiones in comoediam deflexae et derivatae fuerint. Illud addo, parodiam tum demum vim suam et effectum aliquem habuisse, si aut innotuisset audientibus unde quisque locus desumptus esset, quod in Atheniensibus quae erat ingeniorum elegantia et liberalis eruditionis copia vix mirandum est, aut saltem, quod in plerisque verisimilius est, aliunde adscitos esse versus vel dictiones persensissent ([11]).

([9]) Hermog. π. μεθ. δειν. III p. 440 sq.: τοῦ κωμικῶς λέγειν ἅμα καὶ σκώπτειν ἀρχαίως τρεῖς μέθοδοι, τὸ κατὰ παρῳδίαν σχῆμα, τὸ παρὰ προσδοκίαν, τὸ ἐναντίας ποιεῖσθαι τὰς εἰκόνας τῇ φύσει τῶν πραγμάτων. — τὰ μὲν κατὰ παρῳδίαν οὕτως ἔχει· ὁλᾷς; Θέωλος τὴν κεφαλὴν κόλακος ἔχει. θέλων γὰρ εἰπεῖν τὴν κεφαλὴν κόρακος ἔχει, διὰ τὸ τραυλὸς εἶναι δῆθεν ἁμαρτὼν τῇ φωνῇ διεκωμῴδησε τὸν τρόπον.

([10]) Vid. Arist. Poet. C. VI. Plat. de rep. III p. 394. Conf. Ed. Mülleri Historia artis apud veteres pop. II p. 15 sqq.

([11]) Id enim cum ipsa parodia coniunctum esse docent technici. Vid. Schol. Hermog. VI p. 400: παρῳδία γάρ ἐστιν ὅταν τὸ ἀλλότριον εἰς τὴν οἰκείαν σύνταξιν μεταποιήσῃ τις οὕτως ὡς μὴ λανθάνειν,

Restat ut de consilio quod poeta in parodiis faciendis secutus sit paucis exponam. Ac duplex omnino potuit esse ratio, qua poeta in hoc imitandi genere duceretur. Aut enim animo eius obversabantur clari alicuius poetae versus, ut poeta comicus, quum in opere suo pertexendo in aliquam argumenti similitudinem delatus esset, facere vix posset quin illos suis versibus insereret, non ita ut fucum et ornamenta aliunde quaesivisse posset videri, sed ut nec per carminis sui naturam non liceret et verus auctor si non ab omnibus reperiretur at non fugeret eos qui paulo doctiores teretioribusque auribus fabulam spectarent. Atque hoc quidem pluribus locis factum est in partibus choricis, in quibus principum poetarum carmina imitatione expressa sunt, primis versibus interdum ad verbum desumptis, ceteris ideo omissis quod iam cum voluntate poetae minus convenirent. — Alterum consilium ad poetam cuius parodia fit vel ludificandum pertinet vel acrius exagitandum, idque ipsum in duas partes dirimitur. Aut enim versus, qui ipsi per se nihil offensionis habeant et a tragoedia minime alieni sint, vel integri vel singulis vocibus immutati in alium locum ita transponuntur ut simul in aliam sententiam comoediae maxime aptam deflectantur; inest autem in eo iocandi genere nativus quidam lepos, insunt facetiae ut subito et tantum non fortuito ortae ita ab omni acerbitate et severitate remotae. Aut de industria alius poeta acrius perstringitur et severiore aliquo iudicio reprehenditur, quod vel singulis versibus ac sententiis ludibrium esset meritus vel universa artis suae ratione a verae et germanae poesis natura deflexisse atque aberrasse videretur. Atque huc quidem illud pertinet quod Euripidem quum in aliis fabulis saepe lacessiit tum in Ranis acerbius exagitavit deditaque opera castigavit.

Hinc tripartita nascitur disputatio, quamquam his finibus atque terminis res ita continetur, ut difficile saepe et ambiguum sit de singulis locis iudicium. Verum quum ne intra hos quidem fines omnis res considerari et pertractari queat et parodiae interdum in ipsam fabulam ita quasi implicitae sint ut partem eius integram constituant: haec quidem, quae non eadem ratione omnia aestimari possunt, postquam tribus illis quaestionis partibus deinceps satis factum erit, postremo loco in iudicium vocabuntur.

I. Accedimus ad primum parodiae genus, quod totum ad imitationem poetarum pertinet, idque exemplis illustraturi sumus. Ac quoniam duabus partibus comoedia antiqua continetur, quarum una in agendo versatur, altera tota est in animi affectibus poetae expromendis mentisque cogitatis pronuntiandis: choricae quidem partes, quae parabasin quoque complectuntur, quamvis eas poeta nativa quadam ingenii ubertate profusas summo saepe artificio exornaverit, tamen ita nonnunquam comparatae sunt,

---

et Menandrum περὶ ἐπιδεικτικῶν IX p. 282. θαυμάζω δὲ εἰ μὴ ἐπελήλυθεν ὑμῖν — ἐννοεῖν, ἅ φησιν ἄριστος ποιητὴς Εὐριπίδης· — χρὴ μὲν γὰρ τὸν φύντα θρηνεῖν εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά (e. q. sq. e Cresphontis fr. 13.) οὐ θήσεις δὲ ἐξάπαντα (fort. leg. ἑξῆς ἅπαντα) τὰ ἰαμβεῖα, διὰ τὸ εἶναι συνήθη τοῖς πολλοῖς καὶ γνώριμα, ἀλλὰ παρῳδήσεις μᾶλλον.

ut loci ad aliorum poetarum similitudinem compositi in initiis carminum proferantur; quo ampliore dicendi genere mox relicto ad consuetam et domesticam rationem reverti solet. Huiusmodi quidem loci singuli aliunde desumpti et comoediae intexti in Scholiis interdum πλοκαί dicuntur (Reminiscenzen, v. Sch. Pac. v. 775, 800); hinc omne hoc imitationis genus παραπλοκάς dicere licebit, quo vocabulo rhetores ita usos esse diximus, ut poetarum locos significarent quos scriptor aliquis suae orationi inseruisset.

In Equitibus quod legitur v. 1261 sqq.

τί κάλλιον ἀρχομένοισιν ἢ καταπαυομένοισιν
ἢ θοᾶν ἵππων ἐλατῆρας ἀείδειν;

totum a Pindaro petitum est, nisi quod ille ἢ βαθύζωνόν τε Λατὼ καὶ θοᾶν ἵππων ἐλάτειραν ἀεῖσαι cecinit (v. fragm. Pind. 59). Atque haec optime loco conveniunt; quum enim comicus poeta equitum suorum virtutem tollere vellet, commode Thebani vatis meminit eiusque versus aptissime cum suis ita coniunxit ut in unum quasi corpus coalescere viderentur; sed mox de improviso orationem alio flectens equitibus suis misellos quosdam homunciones e regione opponit omniumque risui et ludibrio obiicit. — Similiter in Pacis cantico v. 775 sqq.

Μοῦσα (σὺ μὲν πολέμους ἀπωσαμένη . . .)
κλείουσα θεῶν τε γάμους ἀνδρῶν τε δαῖτας
καὶ θαλίας μακάρων.

et v. 797 sqq. Τοιάδε χρὴ Χαρίτων δαμώματα καλλικόμων
(τὸν σοφὸν ποιητὴν)
ὑμνεῖν, ὅταν ἠρινὰ μὲν φωνῇ χελιδών —

haec igitur a Stesichoro desumpsit ([12]), cuius poetae versus ei quod ipse tractaturus erat argumento concinere videbat; sed repente alio delapsus altero loco in Carcinum eiusque filios, altero in Morsimum et Melanthium, nobile par poetarum hominesque sibi invisissimos, invehitur in eoque suo plane ingenio indulget. — In Vespis v. 1063 sq. verba: πρίν ποτ' ἦν, πρὶν ταῦτα· νῦν δ' | οἴχεται, κύκνου τ' ἔτι πολιώτεραι δὴ | αἵδ' ἐπανθοῦσιν τρίχες et fortasse etiam quae sequ. a Timocreonte Rhodio mutuatus est (παρῴδησε sec. Schol.). — In Nubium choro v. 595 sqq. aliqua inesse videntur ex Pindaricis expressa, certe ὑψικέρατα πέτραν, Vid. fragm. Pind. 285 ex Etym. M. p. 504, 3. Denique de Alcmanis loco aliquo quem in orationem suam Aristophanes adscierit vid. Schol. Ar. Avium v. 251. — Sed ne in minoribus quibusdam diutius commorer, unum addam locum non ex initio carminis petitum, sed tamen ex ea parte fabulae quae graviore et elatiore oratione splendet atque eminet. In Equitibus quum Demus iste, qui δύσκολον γερόντιον tota fabula comparuerat, iam Agoracriti quasi Medeae artibus recoctus iuventutisque flore revirescens in scenam proditurus esset, laetabundus exclamat chorus (v. 1329):

([12]) V. Poet. lyr. Graec. ed. Bergk p. 643.

ὦ ταὶ λιπαραὶ καὶ ἰοστέφανοι καὶ ἀριζήλωτοι Ἀθῆναι
δείξατε τὸν τῆς Ἑλλάδος ἡμῖν καὶ τῆς γῆς τῆσδε μόναρχον.

Quorum versuum prior, Scholiasta teste, ἀπὸ Πινδάρου παρῴδηται, eiusque poëtae fragmentum huc pertinens a Schol. Nub. v. 299 servatum est: ὦ ταὶ λιπαραὶ καὶ ἰοστέφανοι καὶ ἀοίδιμοι, Ἑλλάδος ἔρεισμα, κλειναὶ Ἀθᾶναι ([13]).

Nec vero lyricos tantum poetas sed etiam tragicos hac ratione imitatus est, ac praeter ceteros quidem Sophoclem. Ita Equitum κομμάτιον v. 498 sqq. ἀλλ' ἴθι χαίρων καὶ πράξειας | κατὰ νοῦν τὸν ἐμόν e. q. s. ad huius tragici exemplum expressit, auctore Schol.: παρὰ τὸ Σοφόκλειον ἐξ Ἰολάου ([14]). In Avibus v. 851 sqq. ὁμορροθῶ, συνθέλω, συμπαραινέσας ἔχω — ἴτω δὲ Πυθιὰς βοά Sophoclis ex Peleo versibus usus est: de suo addit συνᾳδέτω δὲ Χαῖρις ᾠδάν, ut ex pessimo tibicine carpendo risum captet. Denique in Ranarum parabasi ἀντῳδή ita incipit (v. 706 sq.): εἰ δ' ἐγὼ ὀρθὸς ἰδεῖν βίον ἀνέρος ἢ τρόπον ὅστις ἔτ' οἰμώξεται, quorum priora ab Ione habet, qui sive in Phoenice sive in Caeneo hunc versum protulerat: εἰ δ' ἐγὼ ὀρθὸς ἰδεῖν βίον ἀνέρος, ὦ πολῖται. Vides ex immutatione facta quo tendat; sed quae fuerit causa ac ratio huius parodiae rectius intelligeretur, si plenior Ionis ille locus ad nostra tempora pervenisset. Ceterum in his imitationibus auctore usus est Cratino, qui quum integrum Archilochi versum mutuatus in Pytinam suam transtulisset, ὦ λιπερνῆτες πολῖται, τἀμὰ δὴ ξυνίετε | ῥήματα, eadem verba ipse etiam expressit in Pace v. 603 ita conformata: ὦ σοφώτατοι γεωργοί, τἀμὰ δὴ ξυνίετε | ῥήματ', (εἰ βούλεσθ' ἀκοῦσαι τήνδ' ὅπως ἀπώλετο) ([15]). Nihil igitur in his ludibrii, nulla cavillatio, sed quod notissimos aliorum versus usurpavit eosque ex suo consilio suaque arte refinxit ac formavit, laudi hoc potius nobilium poetarum tribuisse quam invidia commisisse putandus est. — Verum etiam Euripidis versus aliquos celebratissimos in suam comoediam ita recepit, ut si quis hoc deridendi studio factum putet, ne ille hanc Aristophanis rationem parum perspectam habuerit. Huc pertinet ille locus quo et Cicero in epist. ad Att. VIII, 8 et integriore Clemens Alex. usus est, quemque unus Suidas s. v. ἁλωτόν (p. 246 Bernh.) Euripidi vindicat ([16]):

([13]) V. Böckh Pind. dithyr. fr. 46 p. 579 — Bergk Poet. lyr. p. 228.

([14]) Cf. Welcker de Graec. tragoediis p. 373 — ἐξ Ἰολέους Cod. Ven., ἐξ Οἰκλέους recep. Dind. — Soph. fabulam Ioclem vel Oiclem exstitisse ex pluribus indiciis collegit Bergk Z. Alt. Wiss. 1836 p. 79.

([15]) Vid. Cratini fragm. p. 124 Mein., Eupolid. p. 546. — Alia ratione parodia fit in Equitum parabasi, ubi postquam Cratinum iustis laudibus extulit, haec addit: ᾆσαι δ' οὐκ ἦν ἐν συμποσίοις πλὴν Δωροῖ συκοπέδιλε | καὶ τέκτονες εὐπαλάμων ὕμνων· οὕτως ἤνθησεν ἐκεῖνος. Hesych. s. v. Δωροῖ: παρῳδεῖται τοῦτο ἐκ τῶν ἀρχαίων ποιημάτων nim. e Cratini comoediis. — Dissimilis est eorum poematum ratio, quae non ab ipso poeta scite orationi illigantur et intexuntur, sed ex aliarum personarum ore proferuntur, quae id ipsum agant ut versus aliunde petitos audientibus recitent. Huiusmodi ἐκ διαστάσεως παρῳδούμενα plurima sunt in Avibus, (vv. 926 sqq. 941 … 1337 … 1372 … 1410 sq. quae sunt Pindari Sophoclis Anacreontis Alcaei,) singula in Vespis (v. 1226 sqq.) in Pace (v. 1270 sqq.) in Ranis (v. 659, 664) in aliis fabulis.

([16]) Eur. fragm. ex inc. fab. 96 Matth., 60 Dind. — In Schol. Ar. indicium huius loci non exstat.

πρὸς ταῦθ' ὅ τι χρὴ καὶ παλαμάσθω | καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω·
τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ καὶ τὸ δίκαιον | σύμμαχον ἔσται
κοὐ μή ποθ' ἁλῶ κακὰ πράσσων.

Hos igitur versus in Acharnensium parabasin (v. 659 sqq.) inseruit, ultimis tantum verbis ita mutatis ut tanquam aculeo Cleonem peteret:

πρὸς ταῦτα Κλέων καὶ παλαμάσθω | καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω·
τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ καὶ τὸ δίκαιον | σύμμαχον ἔσται, κοὐ μή ποθ' ἁλῶ
περὶ τὴν πόλιν ὢν ὥσπερ ἐκεῖνος | δειλὸς καὶ λακαταπύγων.

Etiam in Agricolis carmen, quo pacis bona laudantur, εἰρήνη βαθύπλουτε καὶ ζευγάριον βοεικόν e. q. s. (v. fr. fab. 8) ad Euripidis similitudinem composuit, cuius in Cresphonte (fr. 15) ita incipit chori canticum: εἰρήνη βαθύπλουτε καὶ καλλίστα μακάρων θεῶν. — Alia quae in singulis sive versibus sive dictionibus utriusque poetae concinant, infra proferemus, eaque aliquanto plura fuisse quam in scholiis produntur, suspicari licet quum ex aliis indiciis (17) tum ex Aristophanis ipsius confessione. Nam quum Cratinus eum vellicasset quod toties irrideret Euripidem, quem tamen imitari ipse videretur, et ita compellasset:

τίς δὲ σύ; κομψός τις ἔροιτο θεατής·
ὑπολεπτολόγος, γνωμιδιώκτης, εὐριπιδαριστοφανίζων,

Aristophanes ipse ingenue rem confessus in fabula Σκηνὰς καταλαμβ. haec reposuit:

χρῶμαι γὰρ αὐτοῦ τοῦ στόματος τῷ στρογγύλῳ,
τοὺς νοῦς δ' ἀγοραίους ἧττον ἢ 'κεῖνος ποιῶ. (18)

Haec qui reputaverit, sicubi in Aristophanis versibus similitudinem aliquam cum Euripideis deprehenderit, non committet ut circumspiciat anxie quid in istis offensioni fuerit poetae comico occasionemve praebuerit cavillandi. In quo quum a multis viris doctis erratum sit, qui cautiore uterentur iudicio nostris demum temporibus exstiterunt. (19)

---

(17) Vid. grammaticum in libro π. κωμῳδίας (in Mein. Hist. Com. p. 536) Ἀριστοφάνης — ζηλῶν δὲ Εὐριπίδην, τοῖς δὲ μέλεσι λεπτότερος.

(18) V. Schol. Plat. Apolog. p. 330 Bekk. et Plut. Mor. p. 30 D. Conf. Bergk ad Arist. fr. p. 1142 sq.

(19) Ex iis qui rectius quam vulgo solet de hoc imitandi genere statuerint, nominasse sufficiet Bergkium (in Com. Att. reliq. p. 7, 137, 156); Welckerum in libro de Graec. tragoediis (1839) p. 333 „Nicht immer war das Anführen bekannter und auffallender Stellen aus Tragödien in der Komödie ein eigentliches Komödiren: sie konnten ihre Wirkung thun auch ohne allen Spott über den tragischen Ausdruck" ib. p. 479, 872; Cobetum in Observ. Crit. de Plat. Com. (1840); Bernhardyum in Gr. lit. hist. II p. 958, qui recte ostendit, his poetarum imitationibus Atticos, qua fuerint ingenii docilitate, summopere delectatos esse; Firnhaberum in Comment. s. l. (n. 3) qui ita sentit, „saepissime ubi in Comici verbis colorem quendam Euripideum repereris, tantum abesse ut tragicum irridere voluerit, ut dictionis cuiusdam tragicae non immemor facere non potuisse videatur quin eam imitaretur". Quae vero Fritzschio placuerunt, quamvis is sibi rem unus omnium optime visus sit perspexisse, mihi ideo non probantur quod angustioribus hanc materiam finibus circumscribit. Vult enim parodiam „in tragicorum versuum atque etiam epicorum et lyricorum derisione" versari et naturam eius in eo consistere

Transimus ad significationes locorum poeticorum per occasionem iactas (quas vulgo allusiones vocant). Ac saepe fit et in choricis partibus et in diverbiis ut breviores quum lyricorum poetarum tum tragicorum loci vel inserantur sermoni vel respiciantur; nam Homericarum dictionum parodiae, si cum ceteris compares, paucae apud Aristophanem reperiuntur. Huc pertinent primum proverbia et dictiones proverbiales, veluti ut paucas attingam Homericas, in Lysistrata (v. 520) πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει, quo verbo quum se repulsam narret a marito mulier illa a qua fabula nomen traxit, ipsa hanc dictionem postea ita pervertit ut πόλεμον δὲ γυναιξὶ μελήσειν autumet (v. 538)(20); in Avibus v. 685 ἄνδρες φύλλων γενεᾷ προσόμοιοι(21). Alia hoc genus sunt: πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι, Plut. v. 1002, 1075, quo versu Anacreon usus erat, (Bergk. Poet. lyr. p. 684.) τὰς ψυχὰς καὶ ταῦτ' ἔχοντες κυμάτων ἐν ἀγκάλαις Ran. 703, quem versum Archilochi fuisse docuit Cod. Rav. (Cf. Prov. Append. 3, 37 in Paroemiogr. graec.) et cuius proverbii auctorem compertum non habemus ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον, Vesp. 1291, de quo vid. Schol. et interpr. ad Zenob. 6, 40. οὐ γὰρ τἀπὶ Χαριξένης τάδ' ἐστίν, Eccles. 943, quo etiam Cratinus usus erat(22); ποθεῖς τὸν οὐ παρόντα καὶ μάτην καλεῖς Plut. 1127. Conf. Hemst. ad Sch.

„ut gravis sententia quam minima literarum mutatione in risum vertatur aut penitus depravetur" (Comm. ad Thesm. p. 38, 369) „et ubique parodiam non leviter adumbrata signa, sed clare expressa habere mutuae similitudinis, neque eius solum in re argumentoque sed in verbis etiam singulis et apicibus literarum" (Comm. ad Ran. p. 208.)

(20) Saepius variatam esse hanc sententiam ostendit Diogenian. 7, 75. Conf. Eustath. Hom. Comm. p. 657, 43.

(21) De ratione quae Aristophani cum Homerica poesi intercesserit quum uberius disserere a re proposita seiunctum sit, quid sentiam paucis hoc loco significabo. Quum enim ab antiquae comoediae natura non alienum fuerit, ut etiam Homeri versus, quos quidem Atheniensis quivis homo modo non omnino humanitatis expers optime nosset, imitatione exprimerentur fabulisque insererentur, id quod de Epicharmo Cratino Hermippo Pherecrate constat, quamquam dispari ratione et consilio hac in re versatis (vid. Athen. XV p. 698 D sq. Meinek. Hist. Com. p. 78, 92 Com. fragm. II p. 407 sqq.): id minus cadit in Aristophanem, per consilium et argumenti rationem rarius eo delatum. Huc referes parodias in Pace v. 1090 sqq., ubi quattuor versus ad similitudinem Homeri in laudem pacis compositi recitantur, et v. 1097 sq. quo loco ipsius Homeri duo versus proferuntur (Il. ι, 63, 64). Conf. Pac. 1273 sq. cum Il. δ, 446 et θ, 60. Adde fragm. Daetal. 1 Dind., 15 ap. Bergk. — Quod vero Pherecrates in Chironibus non Hesiodi tantum ὑποθήκας sed ipsam etiam Iliadem ad risum iocumque deflexisse visus est (v. Hist. Com. p. 78), illud quidem nunquam commisisse videtur Aristophanes, qui quanta sanctitate coluerit Homerum ostendit vel locus in Ranis v. 1034 sqq.: ὁ δὲ θεῖος Ὅμηρος | ἀπὸ τοῦ τιμὴν καὶ κλέος ἔσχεν, πλὴν τοῦθ' ὅτι χρήστ' ἐδίδαξεν | τάξεις ἀρετὰς ὁπλίσεις ἀνδρῶν; Conf. Pac. 1096: ἀλλ' ὁ σοφός τοι νὴ Δί' Ὅμηρος δέξιον εἶπεν. Nec certe obiiciet quisquam illam in Pluto parodiam v. 302-315, qua Homeri de Ulixe et Circe narratio ad risum excitandum detorta videatur. Neque enim ad Homerum deridendum hoc ludicri genus compositum est, sed ex mediae quae dicitur comoediae instituto repetendum, quo saepe factum est ut mythi ipsi in ludum verterentur. Atque illa quidem fabulae parte poeta tanquam involucro usus est ad Philonidem, qui in simili causa atque Ulixes non in Circes insula sed Corinthi fuisset, non inficete perstringendum.

(22) Vide Cratini fr. p. 98 sq. Cobet. Observ. in Plat. Comic. p. 20.

Plut. et Schneidewin. ad Paroem. Diogen. 8, 33. Cognata sunt illa ex Lysistrata v. 631 sq.

ἀλλ' ἐμοῦ μὲν οὐ τυραννεύσουσ', ἐπεὶ φυλάξομαι
καὶ φορήσω τὸ ξίφος τὸ λοιπὸν ἐν μύρτου κλαδί — ἑξῆς Ἀριστογείτονι.

(Athen. XV, 698 B).

His alia quaedam adiungimus, quae quum in proverbii modum dicta non sint, alienam tamen originem vel ipsa significant vel testimoniis produnt extrinsecus petitis. — In Thesmoph. v. 134 sqq.: καί σ', ὦ νεανίσχ', ὅστις εἶ, κατ' Αἰσχύλον | ἐκ τῆς Λυκουργείας ἐρέσθαι βούλομαι, | ποδαπὸς ὁ γύννις; τίς πάτρα; τίς ἡ στολή; e. q. s. Nam quae in Aeschyli fabula Lycurgus in Bacchum coniicit insolitum dei habitum cultumque commirans, eadem in Agathonem, mollem poetam, effundit Mnesilochus. Vid. Herm. Opusc. V p. 14 sq. — In Lysistr. v. 188 εἰς ἀσπίδ' ὥσπερ φάσ' ἐν Αἰσχύλῳ ποτὲ μηλοσφαγούσας, conf. Aesch. Sept. 43 (23). — In Avibus v. 275 sq. νὴ Δί', ἕτερος δῆτα χοὖτος ἔξεδρον χώραν ἔχων. | τίς ποτ' ἔσθ' ὁ μουσόμαντις ἄτοπος ὄρνις ὀριβάτης; quorum versuum priorem ex Sophocleae Tyrus exordio desumpsit (τίς ὄρνις οὗτος ἔξεδρον χώραν ἔχων;), alterum mutatione aliqua facta ex Aeschyli Edonis transtulit, de quo vid. Hermannum l. l. p. 16 sq. — In Acharn. exordio versus 33 στυγῶν μὲν ἄστυ, τὸν δ' ἐμὸν δῆμον ποθῶν Schol. auctore ex aliqua tragoedia receptus est, ibid. v. 120: τοιόνδε δ', ὦ πίθηκε, τὸν πώγων' ἔχων una voce mutata Archilochi est. His adiungimus ea quae Demus senex loquitur in Equit. v. 1098 sq. καὶ μὴν ἐμαυτὸν ἐπιτρέπω σοι τουτονὶ | γεροντογωγεῖν κἀναπαιδεύειν πάλιν, quorum versuum alterum, secundum Schol., παρῴδησεν ἀπὸ τοῦ Πηλέως Σοφοκλέους. Exstat autem hic Soph. locus ap. Schol. Nub. 1419: Πηλέα τὸν Αἰάκειον οἰκουρὸς μόνη | γεροντογωγῶ κἀναπαιδεύω πάλιν, eoque patet versum hunc plane eadem ratione a comico poeta usurpatum fuisse (24). Addo e Ranis vv. 72, 282, 931 de quibus alio loco dicetur. — Nec raro dimidiati versus aliunde desumpti sunt, qualia a grammaticis notantur σὺν δόρει σὺν ἀσπίδι Vesp. 1081, Pac. 357, quo post Achaeum Sophocles usus erat, et βροντὴ δ' ἐρράγη δι' ἀστραπῆς Nub. 584 (Schol. παρὰ τὰ ἐν Τεύκρῳ Σοφοκλέους· οὐρανοῦ δ' ἄπο | ἤστραψε, βροντὴ δ' ἐρράγη δι' ἀστραπῆς). Eodem pertinet in Vesp. v. 1074 ῥᾳδίως ἐγὼ διδάξω, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν, cuius alterum hemistichium e Stheneboeae Euripidis nobilissimo loco fluxit, (Μουσικὸν δ' ἄρα Ἔρως διδάσκει κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν), eodemque quum alii usi sunt tum Plato in Symp. p. 196 E. (25)

Parodiae protulimus exempla quaedam, quorum haec ratio est, ut vel in exordio vel in progressu orationis locos quos ex aliis poetis hausit vel fida memoria

(23) Leg. videtur ἐν Αἰσχύλου ut in Equ. 400 ἐν Κρατίνου κῳδίον in fabula Cratini (pro vulg. ἐν Κρατίνου) nisi fallit memoria G. Hermannus emendavit.

(24) Aliter visum Firnhabero, qui quum hunc versum propter Schol. locutionem παρῴδησεν in iudicium vocet, minus accurate de eo disputare mihi videtur.

(25) Conf. Valcken. Diatrib. Eurip. p. 206 sq.

deprompsit in suum carmen transferat, non ridendi materiam quaerens, sed quod hos locos rei quam maxime agebat convenire ac concinere videret. Quod si in illis quidem exemplis perspicuum est, aliis quoque multis locis fieri potuisse concedemus(26), ac si in Ranis v. 131 diris eum devovet qui Morsimi tragici aliquam dictionem transscripserit, quod non nemo fecerit inter illa *μειρακύλλια τραγῳδίας ποιοῦντα πλεῖν ἢ μυρία*; longe alia huius poetae causa est qui et ingenii alacritate et doctrinae copia inter ceteros aequales eminens, principum poetarum locos quasi flores quosdam decerptos scite in suam rem converterit.

II. Iam vero ut ad aliam rationem transeamus, quam poeta in hoc imitationis genere secutus sit, magnus est parodiarum numerus earum, in quibus tragicorum et potissimum Euripidis loci in comoediam transmissi sunt, qui quum ipsi nihil habeant quod indignum tragoedia videatur, leviter inflexi in aliam sententiam eamque comoediae aptam maxime et accommodatam convertuntur. Idque interdum ita fit ut ne voce quidem mutata tamen ex alia sententiarum ratione vel alia significatio vel tenue quoddam significationis discrimen dictionisque acumen innascatur. Veluti in Avibus v. 808: *κατὰ τὸν Αἰσχύλον, τάδ' οὐχ ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς αὐτῶν πτεροῖς.* Integrum locum ex Myrmidonibus desumptum Schol. ita profert, ut et sententiarum ratio et dictionis origo perspici possit(27). Eo quidem versu apud Aeschylum Achilles usus videtur, querens quod Patroclum suis armis ornatum ipse ad mortem miserit; nec illepide eum in rem suam convertit Aristophanes, eorum personis accommodatum qui avium pennis induti in avium regionibus sedem sibi ac domicilium quae-

(26) Nonnunquam tamen casu et fortuitu factum videtur ut in eandem dictionem incideret, qua alius ante eum poeta usus esset, veluti Equ. 84: *κράτιστον ἡμῖν αἷμα ταύρειον πιεῖν*, ubi Schol.: *ἔστι γοῦν ἀπὸ Σοφοκλέους Ἑλένης· ἐμοὶ δὲ λῷστον αἷμα ταύρειον πιεῖν*; quae ratio mortis consciscendae quam usitata fuerit ostendit Welcker de Graec. trag. p. 120. — Conf. Avium v. 1232 *μηλοσφαγεῖν τε βουθύτοις ἐπ' ἐσχάραις* cum Eur. Plisth. fr. 4 *μηλοσφαγεῖ τε δαιμόνων ἐπ' ἐσχάραις* et Acharn. 965 *κραδαίνων τρεῖς κατασκίους λόφους* cum Aesch. Sept. 390. Notum est quam male seduli fuerint grammatici qnidam in huiusmodi locis similibus investigandis et quam saepe sine iudicio rem egerint. De quo vide Schol. Avium v. 348, ubi reprehenditur Asclepiades, quod verba *σὰ ταῦτα πάντα καὶ τὸ τῇδε καὶ τὸ κεῖσε* ex Phoenissis Eurip. traducta contendat, (v. 272 *καὶ τῇδε καὶ τὸ κεῖσε, μὴ δόλος τις ᾖ,*) quae fabula post Aves docta sit, et prudenter sane addit castigator ille: *καὶ ὅλως παρὰ πᾶσι τὸ τοιοῦτον.* — Sed maior tamen quam qui fortuito factus videatur est concentus ille in carmine Aristophaneo, quo epops alloquitur lusciniam Av. 213 sq. *ἐλελιζομένη διεροῖς μέλεσιν γένυος ξουθῆς* cum Euripideis quae in eodem argumento versantur in Hel. 1107 sq. *ἔλθ' ὦ διὰ ξουθᾶν γενύων ἐλελιζομένα.* Quod hunc ipsum tragici locum obversatum Aristophani putarunt Valcken. ad Eur. Phoen. v. 1517 quique eum secuti sunt Matth. et Pflugkius, in eo quidem erratum est, siquidem Helena post Aves Ar. in scenam commissa est, Ol. 91 a. 4 ut visum Hermanno (Praef. p. VII), Fritzschio, Welckero (Graec. trag. p. 530). Verum ab utroque poeta scenico alium alicuius poetae locum respectum esse non absimile veri est.

(27) Schol. l. l. *ὡς δ' ἐστὶ μύθων τῶν Λιβυστικῶν λόγος | πληγέντ' ἀτράκτῳ τοξικῷ τὸν αἰετὸν | εἰπεῖν ἰδόντα μηχανὴν πτερώματος, | τάδ' οὐχ ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς αὐτῶν πτεροῖς | ἁλισκόμεσθα. Πεποίηκε γὰρ ὁ Αἰσχύλος ἀετὸν τρωννύμενον καὶ λέγοντα ταῦτα, ἐπειδὴ εἶδε τὸ βέλος ἐπτερωμένον καὶ ἐμπεπαρμένον αὐτῷ* cet. Conf. Pors. ad Eur. Med. v. 139 p. 31 ed. Lips. Herm. Opusc. V p. 148 sq.

sierant. — In altera Equitum parabasi, quo loco Chorus sermonem refert quem inter naves habitum compererit, poeta versu utitur (1302) οὐδὲ πυνθάνεσθε ταῦτ', ὦ παρθένοι, τὰν τῇ πόλει; qui Schol. auctore ex Alcmaeone Euripidis translatus est. Nec pertinet hoc ad irridendum Euripidem, ut Matthiaeo visum est, sed non sine facetiis fit ut versus longe aliter ab illo poeta dictus in Navium sermonem immisceatur et naves nondum mare expertae virgines dicantur([28]).

Frigidius videri possit quod in Pluto v. 635 ἐξωμμάτωται καὶ λελάμπρυνται κόρας, a Sophocle mutuo sumptus de deo dicitur cui oculorum lux reddita est, contra quam in Sophoclis Phineo dictus fuisse videtur. — In Avibus v. 1244 verba πότερα Λυδὸν ἢ Φρύγα (ταυτὶ λέγουσα μορμολύττεσθαι δοκεῖς) ex Eurip. Alcest. (v. 675) derivata sunt neque tamen eadem plane ratione collocata. Denique in Ranis v. 93 χελιδόνων μουσεῖα Schol. teste παρὰ τὰ ἐξ 'Αλκμήνης Εὐριπίδου· πολὺς δ' ἀνεῖρπε κισσὸς, εὐφυὴς κλάδοις, χελιδόνων μουσεῖα. At apud Aristophanem „τὸ χελιδόνων μουσεῖα, (λωβηταὶ τέχνης) παροιμία ἐπὶ τῶν πολυλόγων καὶ ἐπαχθῶν ταττομένη."

Atque in his quidem parodia, quamvis nulla verborum facta mutatione, fit tamen aliquo sententiae discrimine ac deflexu: at multo frequentius poetam in hac re ita versari videmus ut singulis vocibus omissis aliisque in earum locum suffectis, quamvis nihil vehementius moliens, vim tamen aliquam et effectum in audientium animis consequatur. In Acharnensibus v. 883 Boeotus homo quum anguillam ostenderet quam venumdaret Dicaeopolidi, grandiloque eam πρέσβειρα πεντήκοντα Κωπάδων κορᾶν affatur, versu ex Aeschyli armorum iudicio adscito, qua in fabula Thetis δέσποινα πεντήκοντα Νηρῄδων κορῶν appellata erat([29]). Atque hoc quidem grandiore dicendi genere etiam Atticus homo respondet, qui quum post Periclis interdictum diu his cupediis caruisset, sic verba facit v. 893 sq.:

ἀλλ' εἴσφερ' αὐτήν. μηδὲ γὰρ θανών ποτε
σοῦ χωρὶς εἴην ἐντετευτλανωμένης.

His autem verbis nobilissimus Alcestidis Euripideae locus non irridetur, sed lepide traducitur, quo Admetus desiderium suum coniugis dilectissimae prodit (v. 367):

μηδὲ γὰρ θανών ποτε
σοῦ χωρὶς εἴην τῆς μόνης πιστῆς ἐμοί. —

Quibus vero verbis Alcestis personata maritum consolatur (v. 179 sq.):

([28]) Quod vero cupressos illas, Psophide in Arcadia circa sepulcrum Alcmaeonis natas, quas tanquam defuncto sacras caedere religio erat, ab indigenis virgines appellatas esse tradit Pausanias (VIII, 24, 4), id nescio qua ratione vel ad fabulam Euripideam vel ad parodiam comici pertinere possit, nec satis intelligo quid ex ista appellatione eruere velit Matthiaeus ad parodiam Aristophanis explicandam (Eur. fragm. p. 24). Illud non dissimile est quod se ipsum virginem dixit Aristophanes (Nub. 530) ut significaret, se propter aetatis verecundiam comoedias suo ipsius nomine edere noluisse.

([29]) In Arist. versu vocem κορᾶν optime loco convenire ostendit Lysistr. versus 702 παῖδα χρηστὴν κἀγαπητὴν ἐκ Βοιωτῶν ἔγχελυν.

σὲ δ' ἄλλη τις γυνὴ κεκτήσεται
σώφρων μὲν οὐκ ἂν μᾶλλον, εὐτυχὴς δ' ἴσως·

his Cleo Aristophaneus, postquam coronam a Demo sibi antea traditam invitus alii concessit, ita abutitur:

σὲ δ' ἄλλος τις λαβὼν κεκτήσεται
κλέπτης μὲν οὐκ ἂν μᾶλλον, εὐτυχὴς δ' ἴσως.

Ac toto quidem illo loco quo Cleon iste, quasi detracta persona, nativa sua ingenii morumque perversitate omnibus iam conspicuus ostenditur (Equit. v. 1240 — 1252), facit eum poeta flosculis multis ex Euripidis fabulis utentem, quo magis discrepantia illa inter comicum universae fabulae argumentum et unius personae τραγικὸν πάθος sensibus atque oculis subiiciatur. —

His locis duas adiungam parodias, ipsas quoque leviusculis vocum quarundam mutationibus effectas. Nempe in Stheneboea Euripides, ut amoris furorem describeret, his usus verbis videtur: τοιαῦτ' ἀλύει· νουθετούμενος δ' ἔρως | μᾶλλον πιέζει, (Vid. Stheneb. fr. 2 ap. Matth. et Dind.) Haec verba Xanthias in Vespis v. 111 quum mores heri describeret iudicandi saeva cupidine insanientis, ultima voce mutata non sine acumine in ipsum congerit: τοιαῦτ' ἀλύει· νουθετούμενος δ' ἀεὶ | μᾶλλον δικάζει. Et qui in Telepho tragici versus positus erat, ἀπέπτυσ' ἐχθροῦ φωτὸς ἔχθιστον τέκος, eum in Pace Chorus, qui bellum et bellicos apparatus nimium quantum oderat, unius literae παραγραμματισμῷ in rem suam convertit, quum dicit ἀπέπτυσ' ἐχθροῦ φωτὸς ἔχθιστον πλέκος, vasculum intelligens, quo milites in bellum proficiscentes cibaria asservabant. — Iam ut ad Alcestin redeam, cuius tragoediae bis mentio facta est, nobilissimus erat in hac fabula Pheretis versus (691):

χαίρεις ὁρῶν φῶς, πατέρα δ' οὐ χαίρειν δοκεῖς;

Eum et Agathon in Thesmoph. v. 194 Euripidi exprobrat, excusationem inde petens quod ipse pro Euripidis salute periculum gravissimum subire detrectet, et eundem in Nubibus (1415) Phidippides respicit, qui cum patre altercans quum patri probare voluisset, ut liberi a parentibus vapularent ita ne patris quidem corpus verberum immune esse debere, quasi in cumulum addit Euripideum illud, sed alio detortum: κλάουσι παῖδες, πατέρα δ' οὐ κλάειν δοκεῖς; — In his vero ne ex uno Euripide adornandae orationis materiam quaesisse videatur, duas parodias Aeschyleas supra prolatis adiiciam, alteram in Avibus v. 1420, πτερῶν πτερῶν δεῖ, μὴ πύθῃ τὸ δεύτερον, quo versu Aeschylei memoriam renovare visus est: ὅπλων ὅπλων δεῖ, (μὴ πύθῃ τὸ δεύτερον, fragm. 133); alteram in Eccles. v. 392: Ἀντίλοχ', ἀποίμωξόν με τοῦ τριωβόλου τὸν ζῶντα μᾶλλον, τἀμὰ γὰρ διοίχεται, quibus adscriptum in Scholiis: παρὰ τὰ ἐξ Αἰσχύλου Μυρμιδόνων· Ἀντίλοχ', ἀποίμωξόν με τοῦ τεθνηκότος τὸν ζῶντα μᾶλλον. (fragm. 127).[30]

---

[30] Conf. G. Hermanni Opusc. V p. 148.

His igitur locis singulorum versuum parodias agnoscimus; haud raro tamen poetam argumenti aliqua similitudine commoveri videmus ut continuet hanc imitandi rationem ulteriusque persequatur. Ita in Pacis exordio versatus est, ubi quum Trygaeus scarabaeo vastae magnitudinis tanquam Pegaso usus *τόλμημα νέον παλαμησάμενος* ad superos evolat ut inde Pacem deam repetat exoptatamque Atticis restituat, continuae parodiae ex Bellerophonte Euripidea sequuntur, quibus singulae ex Aeolo immiscentur vid. v. 76 sq. 85 sq. 114 sq. 119 sq. 126, 140, 153 sqq. c. Scholiis (31). — Denique illud quoque ad hanc rationem referendum videtur, quod interdum quamvis non ipsa tragici verba premantur, facete tamen ipsa sententia in contrariam partem vertitur. Veluti in Lemniarum fragmento: *ἐνταῦθα δ' ἐτυράννευεν Ὑψιπύλης πατὴρ | Θόας, βραδύτατος ὢν ἐν ἀνθρώποις δραμεῖν.* „Non illepide enim Aristophanes, quum Thoantem tardissimum omnium appellat nomenque hominis ingenio convenire negat, tragicorum consuetudinem ridet, qui omen quasi quoddam in ipso nomine indagare solebant, quemadmodum fecit Euripides in hoc ipso vocabulo Iphig. Taur. 31: *οὗ γῆς ἀνάσσει βαρβάροισι βάρβαρος Θόας, ὃς ὠκὺν πόδα τιθεὶς ἴσον πτεροῖς Ἐς τοὔνομ' ἦλθε τῆς ποδωκείας χάριν.* (32)

Atque hos quidem versus plerosque ex tragoediis desumptos esse, vix dubium est quin perspicuum fuerit audientibus; qui quod maxime celebrati erant, eo ipso in comici quoque poetae quasi ius et possessionem venerunt, quoque erant splendidiores, eo maiorem patet a poeta vel commoditate, qua aliena suis intexuit, vel acumine quodam dictionis, quod ipse intulit, vim comicam et quaesitam et effectam esse. (33)

Iam si accuratius hos locos omnes contemplamur, Aristophanes in imitandis poetis et maxime quidem tragicis certa quadam ratione usus videtur, eaque ex argumenti natura et eorum quos in scenam induxit temporario animorum affectu repetenda est. Itaque quum placidus et tranquillus est eorum animus qui in scena comparent, tum simplici eos et sua plane oratione uti videmus et parodiam rarius admissam; quum vero vehementiores sunt in personis comicis animorum motus qui-

---

(31) Welcker de Graec. tragoediis p. 793 sq.

(32) Bergkium secutus sum Ar. fragm. p. 1098. — Est fragm. n. 324 Dind. Conf. Bergk. ibid. p. 1083 (fragm. 304 Dind.)

(33) Idem fere sensit Cobetus: „Prae omnibus, inquit, Comici poetae acerrima tela in tragicos coniiciebant: ipsi praeclari ingeniorum et poeseos spectatores non solum quidquid tumidum erat et languidum aut quomodocunque ineptum urbane explodebant, sed praeclarissimum quodque, ut in cachinnos erumperent tota theatra, iocosissimae paroediae lusu in risum iocumque detorquebant." Observ. in Plat. Com. reliquias p. 44 sq. Idem p. 118: „De singulis, inquit, tragici locis quaesivit Valckenaerius, cur illae sententiae Comico ridiculae aut ineptae potuerint videri; sed contra est: nam eo facetiores solent haberi isti ioci, quo praeclarius veriusque dictum in ridiculam sententiam detorquetur. Non eo scriptae erant eiusmodi fabulae, ut tragicorum egregia carmina ludibrio haberentur, sed quo magis in cachinnos erumperent Attici, si in ludicro argumento bene sibi notos tragici versiculos subesse sentirent."

que gravius dicendi genus requirant, ubi concitatus affectus vel in dolorem prorumpit vel in querelas effunditur, ubi vel laetitia exsultat animus vel tristitia ac moerore deprimitur, ubi denique vel desiderio afficitur vel admiratione oppletur: tum etiam comoedia vocem tollit, atque ad has argumenti partes adornandas largam materiam lateque patentem tragoediae Euripidis suppeditarunt. — Quamquam in dolore quidem animi prodendo certis quibusdam locutionibus usus est, ut a tragico poeta saepe adhibitis, ita ad commune dicendi genus proxime accedentibus, veluti: οἴμοι κακοδαίμων, οὐκέτ' οὐδέν εἰμ' ἐγώ, (Equ. 1243) λείπω φάος τόδ', οὐκέτ' οὐδέν εἰμ' ἐγώ (Acharn. 1185 ex emend. Mein.) ἔπαιρε σαυτόν — οὐδέν εἰμ' ἄρα (Vesp. 996 conf. Eur. Androm. v. 1077) ὦ Φοῖβ' Ἄπολλον Λύκιε, τί ποτέ μ' ἐργάσει; — κυλίνδετ' εἴσω τόνδε τὸν δυσδαίμονα, Equ. 1240, 1249, quorum versuum alterum ex Telepho, alterum ex Bellerophonte mutuatus est; τί με δῆτ', ὦ μελέα μῆτερ, ἔτικτες, et quae proxime sequuntur Vesp. 312, quae verba ex Euripidis Theseo desumpta sunt. — Ita quum constantia et firmitas consilii proditur, ut Vesp. 763: τοῦτο δὲ Ἅιδης διακρινεῖ πρότερον ἢ 'γὼ πείσομαι, ubi Schol. ἐν Κρήσσαις Εὐριπίδου — Ἅιδης διακρινεῖ ταῦτα. Quumque magnus ostenditur animus ad agendum audendumque promptus, veluti in Lys. 706: ἄνασσα πράγους τοῦδε καὶ βουλεύματος, | τί μοι σκυθρωπὸς ἐξελήλυθας δόμων; qui versus aut uterque aut certe prior ex Telepho transpositus et argumenti gravitati maxime accommodatus est. — Alii sunt loci quibus vel magnum animi desiderium vel ingens laetitia coloribus eodem petitis depingitur. Huc referendus locus ex Acharn. 893 modo laudatus (p. 12) et quae sunt in Vespis v. 749 sqq. κείνων ἔραμαι, κεῖθι γενοίμαν | (ἵν' ὁ κῆρυξ φησί, τίς ἀψήφιστος; ἀνιστάσθω.) — σπεῦδ' ὦ ψυχή, ποῦ μοι ψυχή; πάρες ὦ σκιερά. — quae partim Alcestidis imitationem produnt (v. 866. κείνων ἔραμαι, κεῖν' ἐπιθυμῶ δώματα ναίειν.), partim ex Hippolyto priore et ex Bellerophonte huc translata sunt. Ubi vero laetitia exsultantem facit Strepsiadem, postquam is voti compotem se factum credidit (Nub. 1154 sqq.), ibi quoque ex eodem fonte hortulos suos irrigavit; nam priora verba βοάσομαι τἄρα τὰν ὑπέρτονον βοάν ex Peleo Euripidea hausit, eademque Phrynichus etiam in Satyros transtulit: quae vero postea adduntur v. 1165 sq.: ὦ τέκνον, ὦ παῖ, ἔξελθ' ἔξελθ' οἴκων, ἄϊε σοῦ πατρός, sunt illa quidem ex Hecuba traducta, qua in fabula iisdem fere verbis summus animi moeror proditur, v. 172 sq.: ὦ τέκνον, ὦ παῖ | δυστανοτάτας ματέρος, ἔξελθ' | ἔξελθ' οἴκων· ἄϊε ματέρος αὐδάν. — Denique huc referenda est Aeaci in Ranis oratio v. 470 sqq. Namque ille Pluti minister magna vocis contentione et tragico plane sono minas et atrocissimas et efficacissimas in Bacchum iactat, qui Herculis persona indutus ad inferos venerat. Ac scholiasta quidem teste τὰ μὲν ἑαυτῷ πλάττων λέγει, τὰ δὲ ἐξ Εὐριπίδου. — ἔστι δὲ τὰ ἐν Θησεῖ πεποιημένα Εὐριπίδῃ· ἐκεῖ γὰρ τοιοῦτός ἐστι σπουδάζων ὁ Εὐριπίδης, οἷος ἐνταῦθα παίζων. Iocu-lare vero in illis id quoque est, quod multis illis horribilibus singula immiscentur vocis tantum sono formidolosa, re ipsa minime atrocia. (34)

Ubicunque igitur sonus comoediae gravitate quadam assurgit, ibi poeta amplam illam et elatam tragoediae orationem saepissime adsciscit, in quo unum illum tragicum, quem intus et in cute novisse videtur, praeter ceteros sequitur, quippe qui et populo fuerit notissimus, et affectibus quos exprimere vellet, plurimum valuerit. Ac ne illud omisisse videar, in quo virtutis comicae insignis pars versatur, persaepe fit ut in rebus levibus et vulgaribus supra soccum tollatur oratio et tragoediae quidam fastus affectetur. Huc pertinet Gerytadae fr. 1. *καὶ τίς νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας ἔτλη κατελθεῖν;* et ei. fab. 2. *ἥκω Θεαρίωνος ἀρτοπώλιον | λιπὼν, ἵν' ἐστὶ κριβάνων ἑδώλια·* namque nobilissimum illud Hecubae exordium Atticis certe omnibus non minus notum erat, quam l a e t o s i l l o s d i e s i a m p r a e t e r l a p s o s ex Schilleri tragoedia nostrates docti indoctique norunt omnes.(35)

Atque huic quidem quam modo adumbravimus parodiae aliud quoddam genus et consilio et artis ratione propinquum ac cognatum est. Quod enim diximus, quum res ipsa maiorem vocis contentionem vel requirere vel admittere videretur, tolli comoediae sonum et orationem ad tragoediae dignitatem amplificari, id persaepe etiam ita fieri videmus, non ut ipsa poetae alicuius verba exprimantur, sed tragici sermonis natura et universus color quum verborum delectu tum numerorum compositione repraesentetur. Hoc illud est quod *παρατραγῳδεῖν* saepius a grammaticis dicitur.

Quamquam de singulis locis et ambiguum saepe iudicium est et aliquanto rectius statuere possemus, si quaecunque ex Euripideis fabulis hausta vel imitatione expressa sunt, accurate in veterum commentariis omnia prolata essent; quod quum saepe omissum sit, plerumque ubi in scholiis *μιμεῖται τὸν Εὐριπίδου χαρακτῆρα* vel *παρατραγῳδεῖ* vel *τραγικαῖς λέξεσιν ἐχρήσατο* vel simile aliquid notatum legimus, habemus quo

---

(34) *τοία Στυγός σε μελανοκάρδιος πέτρα | Ἀχερόντιός τε σκόπελος αἱματοσταγὴς | φρουροῦσι, Κωκυτοῦ τε περίδρομοι κύνες | ἔχιδνα Θ' ἑκατογκέφαλος, ἣ τὰ σπλάγχνα σου | διασπαράξει πνευμόνων τ' ἀνϑάψεται | Ταρτησία μύραινα· τὼ νεφρὼ δέ σου | αὐτοῖσιν ἐντέροισιν ᾑματωμένω | διασπάσονται Γόργονες Τιϑράσιαι· | ἐφ' ἃς ἐγὼ δρομαῖον ὁρμήσω πόδα.* Mediis tragoediae versibus lepide *Ταρτησίαν μύραιναν* infersit, qua voce etsi *πρὸς τὸ ἐκπληκτικώτερον* usus Tartarum facetius significasse videtur, nullo tamen modo venenatam colubram, tanquam horrendum aliquod monstrum exserit, sed nimirum murenam Tartesiam, heluonum delicias animo comprehendit. Quasque Gorgonas Tithrasias ampullis his inserit, iis lepide significat mulieres Tithrante pago ortas, Gorgonum instar truces, quae non ita multo post in scena comparent, et ne inania minatus videatur, conviciis ac pugno hospitem excipiunt. Ita Hermannum secutus locum explicavit Fritzschius ad Thesm. p. 477 et ad Ran. l. l.

(35) Conf. Pors. Eur. Hec. 1., Bergk. Arist. fragm. p. 946. Vix probabilis est Bergkii coniectura, qui Athenaeum secutus III p. 112 E. Ἀριστοφάνης ἐν Γηρυτάδῃ καὶ Αἰολοσίκωνι — Ἥκω Θεαρίωνος cet. versus hos in utroque dramate usurpatos fuisse suspicatur; nec fidem faciunt ii loci, quos profert V. D. ut poetam, quae satis commode ipsi viderentur dicta esse, ea in pluribus fabulis iterare solitum ostendat. Grauertus in Mus. Rhen. 1828. p. 500: ἐν Γηρ. ἢ Αἰολοσίκωνι, nam notum est sophistam illum saepe inter duas fabulas vel etiam duos poetas, utri adscribendi essent versus aliqui prolati, in medio reliquisse. Mihi quidem lenissima videtur mutatio ἐν Γηρυτάδῃ ἢ καὶ Αἰ. — Ceterum simile plane erat etiam Troadum exordium.

acquiescere possimus. — Huiusmodi igitur loci ad Euripidei sermonis similitudinem compositi in Ranis et in Thesmoph. plurimi exstant, quibus enumerandis eo magis supersedeo quod ad utramque fabulam infra revertar; quare de reliquis fabulis singula quaedam exempli gratia expromam.

In Pace versus 140: τί δ' ἢν ἐς ὑγρὸν πόντιον πέσῃ βάθος; et numeris et oratione tragica compositus est (Schol. τοὺς τραγικοὺς παίζει διὰ τὰ περὶ Ἰκάρου λεγόμενα), similiter Pac. 380 sq.: ὑπὸ τοῦ Διὸς ἀμαλδυνθήσομαι, εἰ μὴ τετορήσω ταῦτα καὶ λακήσομαι, Vesp. 1482: τίς ἐπ' αὐλείοισι πύλαις θάσσει, ubi Schol.: ὀρχούμενος ὁ γέρων παρατραγικεύεται, cf. v. 1487. — Plura sunt in Nubibus et in Avibus ad hanc consuetudinem referenda, veluti Av. 1197 sq.: ὡς ἐγγὺς ἤδη δαίμονος πεδαρσίου | δίνης πτερωτὸς φθόγγος ἐξακούεται, v. 1238 sqq.: ὦ μῶρε, μῶρε μὴ θεῶν κίνει φρένας et qui sequuntur quattuor versus quos Iris loquitur; atque his ita respondet Pisthetaerus, ut quum illa παφλάσματα dicat, tamen facere non possit quin ipse etiam in tumidiorem istam orationem delabatur. Etiam sub finem eiusdem fabulae v. 1706-1719 nuntius elata voce παρατραγῳδῶν inducitur, et simili ratione quamquam in dissimili causa Praxagora in initio Ecclesiazuson. Denique in Pluto plures versus sunt qui tragicum spiritum vel numeris vel toto orationis colore prodant: v. 9: τῷ δὲ Λοξίᾳ, ὃς θεσπιῳδεῖ τρίποδος ἐκ χρυσηλάτου, v. 39: τί δῆθ' ὁ Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων; v. 114: οἶμαι γάρ, οἶμαι, ξὺν θεῷ δ' εἰρήσεται (cf. Eur. Med. 625 Dind.), v. 639: ἀναβοάσομαι τὸν εὔπαιδα καὶ | μέγα βροτοῖσι φέγγος Ἀσκληπιόν, v. 758 sq.: ἐκτυπεῖτο δὲ ἐμβὰς γερόντων εὐρύθμοις προβήμασιν (36). Haec atque talia a vulgari dicendi usu recedentia plane argumento concinunt ac non eo consilio conficta sunt ut sive Euripidis sive omnino poetarum tragicorum consuetudo ludibrio daretur.

Denique quum non argumenti gravitas sed mores personarum quas vel induxit vel descripsit exigebant, tum quoque poetam oratione ad illorum ingenium liberius conformata usum esse consentaneum est. Quod quum latius aliquanto pateat, hoc quidem imitationis genus, quod rarius parodiae nomine notatur (conf. p. 3 sq.), ne a proposito longius nostra declinet disputatio, paucis significasse sufficiet (37).

---

(36) Conf. Schol. et interpr. et Fr. Ritter de Arist. Pluto (1828) p. 29 sq.

(37) Agathonis personam et verborum illos ac sententiarum lepores, aurium voluptati servientes, notum est magna arte a poeta expressam esse in priore parte Thesmoph., imprimis v. 52 sqq., eamque fabulae partem Platoni obversatam fuisse, qui eiusdem poetae tragici imaginem summa colorum venustate depinxit, iam alii suspicati sunt. — Lyricos et dithyrambicos poetas describit in Nub. 334 sqq. (ubi Schol.: ταῦτα δὲ πάντα ἔκ τινων ποιητῶν εἰσιν, ἄλλο ἄλλου γράψαντος, καὶ τοῦ μὲν τοῦτο, τοῦ δὲ ἐκεῖνο), Pac. 831 sqq.: τὰς ἐνδιαεριαυερινηχέτους (Schol. κωμῳδεῖ τοὺς διθυραμβοποιοὺς καὶ λέξεις τινὰς αὐτῶν διαβάλλει), Av. 930: πρόφρων δόμεν ἐμὶν τεΐν (ubi Schol. χλευάζει τῶν διθυραμβοποιῶν τὸν συνεχῆ ἐν τοῖς τοιούτοις δωρισμόν) et saepius in Avium fabula. — Rhetorum etiam filii vellicantur eorumque dicendi genus inflatum atque acutulum, ad Gorgiae et Phaeacis dicendi artificia compositum, ridetur. Equit. 1375 sqq. Acharn. 595 sqq. — Vesp. 1193: πλευρὰν βαθυτάτην καὶ χέρας καὶ λαγόνε καὶ | θώραχ' ἄριστον,

Atque illi quidem aliorum poetarum versus ita plerumque comoediae immisti et illigati sunt, ut vel singula vocabula vel grandior et sublimior quidam sonus orationis aut ipsum auctorem prodiderit aut certe aliquam habuerit originis significationem. Quod ne quando lateret eos qui audiebant, histriones et pronuntiandis istis versibus et omni actione effecisse probabile est; saepe vero poeta comicus ipse curavit ut alia etiam indicia parodiae inessent, quum ex ipsis auctoris verbis ea retineret, quae in quem locum translata erant, eo loco sententiarum rationi minus convenire viderentur. In his igitur poeta, quam sibi potestatem concessam putavit, ut ultra id quod maxime propositum erat evagaretur et spectantium animos vario ac multiplici ludi genere oblectaret, ea libertate ingenue ita usus est ut aliorum poetarum versus non usque quaque suis accommodaret, sed non mutatis iis quae mutanda viderentur licentius versibus illuderet. Quam rem exemplis ita comprobabimus ut non unius Euripidis rationem habeamus, sed ea excitemus quae maxime ad rem perspiciendam facere videantur. — In Thesm. 1015 sq. canticum plane ad Euripidis similitudinem compositum *φίλαι παρθένοι, φίλαι* incipit. Recte ibi Fritzschius (p. 418) caras virgines dicit ab Euripide huc profectas, neque eas illa in comoedia ullas posse cogitari; quod vero addit parodiae scriptorem omnia minima non magis quam praetorem curare, id ut probem tantum abest, ut Euripidis ista verba de industria retenta et servata putem: certe enim in initio eius carminis nihil mutari potuit quin indicia simul parodiae obliterarentur. — In Ranis Aeschylus personatus Euripidis versum, qui quidem in Achillem dictus fuisse videtur: *ἄληθες ὦ παῖ τῆς θαλασσίου θεοῦ*; admodum scite in ipsum auctorem regerens, *ἄληθες ὦ παῖ τῆς ἀρουραίας θεοῦ* dicit (v. 800), in quibus si deam sustulisset, evanuisset omnis vis atque acumen parodiae. — In Avibus v. 1246: *ἆρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς εἴ με λυπήσει πέρα | μέλαθρα μὲν αὐτοῦ καὶ δόμους Ἀμφίονος | καταιθαλώσω πυρφόροισιν αἰετοῖς.* ubi Schol.: *ἐκ Νιόβης Αἰσχύλου· ἐξέρριπται δέ τὸ Ἀμφίονος ἐκ παρῳδίας.* (*ἐνέρραπται* coni. G. Herm.) Pisthetaerus vero qui cum Iride tumido delitigat ore, quamvis totum illud dictum in Iovem coniiciat, tamen non Iovis sed Amphionis domum nominavit ([38]). Simili ratione poeta is qui in Avibus inducitur et in eorum numero prodit qui in avium regnum recipi gestiebant, quum Pindari carmen profert suo consilio accommodatum, quae in Hieronem dixerat poetarum princeps (*σὺ δὲ πάτερ κτίστορ Αἴτνας, ζαθέων ἱερῶν ὁμώνυμε*), eadem in Pisthetaerum convertit ([39]). — In Nubibus v. 1264 sqq. Amynias, qui rem suam Strepsiadi crediderat, ut miseriam suam queratur, versus e Xenoclis Licymnio profert: (*ὦ σκληρὲ δαῖμον, ὦ τύχαι θραυσάντυγες | ἵππων ἐμῶν, ὦ Παλλάς, ὥς μ' ἀπώλεσας*), ex quo quaesi-

---

quae sunt quum vocibus tum formis singulis a comoediae usu recedentibus *μιμητικά*, quemadmodum plura in Vespis leguntur, quibus mores hominum quorundam ingenue nequam ita adumbrantur, ut tanquam loquendi formulis subauscultando exceptis ipsos audire nobis videamur.

([38]) Conf. G. Hermann. Opusc. III p. 52 sq.

([39]) Böckh. Pind. fr. p. 597. Bergk. Poet. lyr. p. 237.

turus Strepsiades, quae tanti causa doloris sit, versu utitur: τί δαί σε Τληπόλεμός ποτ' εἴργασται κακόν; si minus ex eadem fabula sumpto, tamen ad idem argumentum accommodato. — In Eccles. 392 Blepyrus: 'Αντίλοχ', ἀποίμωξόν με τοῦ τριωβόλου τὸν ζῶντα μᾶλλον· τἀμὰ γὰρ διοίχεται, quae parodia quum ex Aeschyli Myrmidonibus facta sit, Antilochi illius, qui in Aeschyleo dramate comparuerat, ipsum nomen retinetur. Denique pervulgatus est ille versus ex Telepho, qui in proverbium abiisse videtur: ὦ πόλις Ἄργους, κλύεθ' οἷα λέγει, qui bis legitur apud Aristophanem, in Equ. 813 et in Pluto 601 ([40]). — Quid quod interdum luxuriatur poetae ingenium et extra hos quoque terminos evagatur; fit enim interdum ut quum singulae voces quibus utitur alienum plane poetae locum in memoriam revocent, diversa quaedam ne salva quidem sententia copulentur. Hinc explicandus locus Acharn. 472 sq. Dicaeopolis enim postquam precibus Euripidi institit eique omnem tragoediae ornatum expressit, admodum se molestum esse ipse concedit: ibi quum Euripidei versus e Telepho reminiscatur (ἦν ἄγαν) ὀχληρὸς, οὐ δοκῶν γε κοιράνους στυγεῖν, ipse haec in suam rem ita convertit: καὶ γὰρ εἴμ' ἄγαν ὀχληρὸς, οὐ δοκῶν με κοιράνους στυγεῖν, securus de eo quod ultima illa loco minus conveniebant. Audacius etiam in Vesp. 306 sq. quum puerum dicentem faciat: ἔχεις ἐλπίδα χρηστήν τινα νῷν ἢ πόρον Ἕλλας ἱρὸν εἰπεῖν; sua alienis miscet; ibi enim vox πόρον, h. e. remedium, Pindarici loci eum commonefacit: πανδείμαντοι μὲν ὑπὲρ πόντιον Ἕλλας πόρον ἱρόν (fr. 197) et quamvis alio plane significatu πόρος Ἕλλας dicatur, (Schol. ὁ Πίνδαρος τὸν πλοῦν τοῦ Ἑλλησπόντου, νῦν δὲ πορισμόν) tamen dictionem illam subiungere non dubitat. Verumtamen huiusmodi locos, quibus ineptius et sine salibus parodia ingeri videatur, haud multos apud Aristophanem reperies.

III. Tertium parodiae genus diximus, quum loci tragicorum eo consilio proferuntur ut in ludibrium plane detorqueantur auctorque irrideatur et acerbius perstringatur. Iamque eo pervenimus, quod multis omnium temporum sermonibus contritum atque apud omnes pervulgatum est, Euripidem saepe a poeta comico vellicatum multisque criminibus haud levibus lacessitum esse atque oneratum, adeo ut is poetae tragicorum principi ac nil tale commerito petulanter potius insultasse quam vel imitatoris munere functus esse vel iusti aestimatoris partes egisse visus sit. — Ac primum quidem, quod multi conquesti sunt poetam gratissimum illum et probatissimum populo, qui vel optimo cuique veterum in deliciis fuerit, ab Aristophane quum alibi tum in Ranarum fabula graviter vexatum multisque conviciis exagitatum esse, ea res tam in propatulo est, nulli ut dubitationi locus relinquatur: quod quibus causis quoque consilio fecerit, quidque iuste quid inique reprehenderit, multi viri docti nostris temporibus accurate pervestigarunt, in quibus Th. Roetscherus, Ed. Müllerus et qui insigni cum laude nominandus est God. Stallbaumius ([41]). Quae res si

([40]) Conf. Welcker Graec. trag. p. 484.

([41]) Roetscherus in libro de Aristophane eiusque aetate (1827) p. 210 sqq. Müllerus in Hist. artis ap. veteres populos (1834) I p. 140 sqq. Stallbaumius in commentatione de persona Euripidis in Ranis Aristophanis (1843).

ita ad liquidum esset perducta ut quid de Aristophane statuendum esset, certis rationibus omniumque consensu constaret, omittendam potius hanc operis partem ducerem, praesertim quum multum taedii et parum utilitatis habeat, quae saepe ab aliis prolata sint ad alium ordinem aliamque rationem revocata repetere. Verum enim vero quum in hoc argumento ne doctissimorum quidem hominum opera eo iam perventum sit ut liquido omnia apparere videantur, quoniam quidem magni momenti haec res est in ea quam tractandam sumpsimus quaestione, ne nos quidem disputationem hanc omnem reiicere quidque sentiamus reticere possumus.

Ac quoniam magna pars Ranarum in vitiis Euripidis castigandis versatur, haec ipsa fabula quaestioni, de qua nunc agimus, quasi fundamento fuit. Eos locos qui singulos seorsim ex argumenti perpetuitate divulsos respexerunt, facere non potuerunt quin Euripidem tanquam deterrimum poetam tragicum male ab Aristophane habitum contenderent, ac nimiae procacitatis eum insimularent, qui saepius ad maledicta et calumnias prolapsus esse videretur. In quo qui bene cupiverunt Aristophani excusationem paratam ac promptam habuerunt. Nam quum sentirent in comparatione illa, quae inter utrumque poetam tragicum instituitur, id potissimum agere Aristophanem ut Euripidem longe inferiorem esse Aeschylo ostenderet, quid mirum si virtutes eius reticendas duxit, vitia vero comoediae more exaggerare licitum sibi ac concessum putavit. Ac ne illud quidem praetermiserunt, quod pleraque convicia illa ab Aeschylo personato in Euripidem ingeruntur, ut quamvis in universum ipsius quoque Aristophanis iudicium istis reprehensionibus significetur, inique tamen agerent, qui omnia haec serio ex Aristophanis animi sententia dicta esse vellent. Quid vero quod ne Aeschylus quidem, quem tamen plurimi fecit Aristophanes, integer omnino et intactus abit, sed hic quoque et ab Euripide et ab ipso quoque Baccho aliquoties castigatur?

Quae quamvis recte habeant, quum nihilo magis sufficiant ad comicum poetam vel omni crimine liberandum, vel consilium rationemque eius recte aestimandam: universo fabulae argumento lustrato et tanquam uno mentis obtutu contemplato opus est, si quis ea quae de Euripide statuerit Aristophanes ad certius iudicium revocare velit. In hac igitur re eximiam operam collocavit G. Stallbaumius, isque ex perpetuitate atque unitate argumenti, quod huic etiam comoediae nobilissimae constare necesse est, hanc quoque partem eius aptam fecit quae ad iudicium tragicorum faciendum pertinet. In quo instituto peragendo ita versatus est, ut eius rationes et sententiam in plerisque sequi non dubitemus, in eo tantum dissentientes quod V. Cl. Euripidis studio atque amore et ipse ductus nimium huic poetae patrocinari videtur. Ostendit igitur atque ex omnis argumenti ratione efficere studuit, poetam comicum, quum veteris et recentioris artis dramaticae ageret censuram, principes poetas duos delegisse quibus commodissime ceterorum partes demandaret, atque in eo id ipsum sibi propositum habuisse, ut eadem opera etiam studia, mores, cupiditates, vitia denique civium suorum clarissima aliqua imagine tanquam ob oculos ponerentur. „Vo-

luit enim duarum aetatum inter se oppositarum picturam exhibere, quo clarius et evidentius perspiceretur earum diversitas. — In quo tantum abest, ut poetas istos ad veritatis fidem adumbraverit, ut plurima iis adscripserit quae aliquantum ab ipsorum ingenio abhorrent ac non tam vera quam verisimilia sunt. Etenim Aeschylum omnino informavit eum, qui priscae aetatis, qualis fuit bellorum cum Persis gestorum tempore speciem referat, ideoque palam faciat, quanta tunc fuerit vis nativi et incorrupti ingenii, quanta fortitudo et magnanimitas, quanta morum castitas et innocentia, quanta legum et institutorum patriorum reverentia, quanta pietas et verecundia in deos patrios, quanta denique poesis scenicae quantumvis rudioris et incomtioris dignitas et in maxima simplicitate maiestas atque granditas. Cui e regione ponitur Euripides, qui tanquam recentioris disciplinae partes sustinet. Huius enim exemplo ostenditur, ingentem nuper grassari occoepisse pristinae virtutis depravationem etiam in poesi tragica refulgentem, effeminatam mollitiem, ingens nugarum sophisticarum studium, effrenatam morum licentiam, deorum patriorum contemtum paene incredibilem, denique insolentem protervitatem atque procacitatem in privatae pariter atque publicae vitae rationibus elucescentem" (42). — Euripidem igitur in scenam induxit, quod quamvis multis conspicuus fuerit laudibus et aequalibus poetis, uno excepto Sophocle, longe superior, (cf. v. 71, 92,) tamen novitio isto artis sophisticae et rhetoricae studio imbutus, aetatis suae ingenio atque moribus iusto plus indulsisset, vitiaque illa populi, quae tunc maxime propagari coepta erant, luxuriem ac mollitiem, garrulitatem, petulantiam morumque perversitatem, denique in deos impietatem quantum in ipso fuit fovisset ac sustentasset. Quam labem per tragicam etiam poesin ex temporum vitiositate disseminatam quum Aristophanes ingenue aperire atque in uno quasi duce et antesignano unaque imagine repraesentare constituisset, per ipsam rei naturam consequens et necessarium fuit, ut multa fingeret licentius et in suum Euripidem ita congereret ut ipsius Euripidis imago quamvis primis lineamentis ad veritatis fidem adumbrata, tamen in singulis partibus adornandis infucata aliquantum ac depravata videretur (43).

Iam vero ut singula accuratius perspiciantur, duo potissimùm sunt quae in Euripide acriter exagitavit poeta comicus, eaque ipsa inter se coniuncta et connexa, quod et labefactatae veterum morum disciplinae partem habuerit et tragicam artem depravaverit ac corruperit. Ac primum in Euripide hoc reprehenditur, quod et a pristino deorum cultu descivit et novitiae disciplinae, quae tunc invaserat civitatem Atheniensium, ipse deditus aliam quam quae populo ingenita erat de deorum rerumque omnium natura doctrinam professus est, quaeque more patrio sancta ac poeta-

(42) Stallbaumium secutus sum Comm. I. p. 5.

(43) Conf. Stallbaum l. l. p. 8 sqq. p. 26 „Itaque in unum Euripidem utpote poetarum, qui populo morigerati essent, facile principem, crimina cuncta congessit — idque verisimilitudini convenienter ea ratione fecit, ut pro fundo commentorum suorum veris eius vitiis et erroribus usus sit."

rum auctoritate antiquitus comprobata erant, ea novis placitis immutavit ac pervertit ([44]). Quumque inflammatio illa et ardor animi, magnarum rerum alumnus magnarumque cogitationum parens ac procreator, per temporum rationem sedari ac restingui coeptus esset, et ea artis doctrinaeque ratio in eius locum successisset quae singula quaeque subtiliter perquireret et ex utilitatis maxime rationibus metiretur: ille praecipue poeta ab Aristophane dicitur poesin tragicam, quam sublimem et generosam accepisset, iam granditate omni ac magnificentia exutam extenuasse, quippe quam ad sui temporis conditionem et quotidianae vitae usum accommodasset, idemque singula quaeque ita conformasse et expressisse ut civibus ad res privatas ac domesticas prudenter administrandas quam plurimum inde commodi atque utilitatis redundaret ([45]). Atque haec quidem Euripidem ipsum in Ranis ita significantem facit, is ut ultro laudi sibi imputet quae reprehensione potius digna videantur,

v. 939 sqq.: ἀλλ' ὡς παρέλαβον τὴν τέχνην παρὰ σοῦ τὸ πρῶτον εὐθὺς
οἰδοῦσαν ὑπὸ κομπασμάτων καὶ ῥημάτων ἐπαχθῶν,
ἴσχνανα μὲν πρώτιστον αὐτὴν καὶ τὸ βάρος ἀφεῖλον
ἐπυλλίοις καὶ περιπάτοις λευκοῖς τε τευτλίοισι
χυλὸν διδοὺς στωμυλμάτων, ἀπὸ βιβλίων ἀπηθῶν. sqq.

v. 959: οἰκεῖα πράγματ' εἰσάγων, οἷς χρώμεθ', οἷς ξύνεσμεν.

v. 971: τοιαῦτα μέντοὐγὼ φρονεῖν | τούτοισιν εἰσηγησάμην,
λογισμὸν ἐνθεὶς τῇ τέχνῃ | καὶ σκέψιν, ὥστ' ἤδη νοεῖν
ἅπαντα καὶ διειδέναι | τά τ' ἄλλα καὶ τὰς οἰκίας
οἰκεῖν ἄμεινον ἢ πρὸ τοῦ, | κἀνασκοπεῖν· πῶς τοῦτ' ἔχει;
ποῦ μοι τοδί; τίς τοῦτ' ἔλαβε;

Ac lepide sane personatus ille Euripides quo ingenio fuerit, quibusque rationibus in opere faciendo ductus sit profitetur: alia multa Aeschyli ore proferuntur quae vel ad argumenta dramatum eius pertineant vel ad morum in singulis personis descriptionem, eaque cum iis quae alibi etiam ab Aristophane Euripidi exprobrantur consen-

---

([44]) Itaque novitios quosdam, quibus precatur, per quos iurat, deos profitetur. Vid. Ran. 889 sq. ἕτεροι γάρ εἰσιν οἷσιν εὔχομαι θεοῖς. — αἰθὴρ ἐμὸν βόσκημα καὶ γλώττης στρόφιγξ | καὶ ξύνεσι καὶ μυκτῆρες ὀσφραντήριοι Cf. Thesm. 14 sqq. 450 sq. Nub. 380 sq. 569 sq. alibi. — Hinc fabulae impietatis plenae ut Melanippe, quae nomen sapientis ab eo accepit, quod impie philosopharetur eoque de fide diis patriis habenda detraheret; v. Melan. fr. 1. Ζεὺς, ὅστις ὁ Ζεὺς, οὐ γὰρ οἶδα πλὴν λόγῳ cf. Troad. 886 sq.: ὅστις ποτ' εἶ σὺ, δυστόπαστος εἰδέναι | Ζεὺς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεος εἴτε νοῦς βροτῶν προσηυξάμην σε. Adde Hel. 1137 sq. — De aethere illo Euripideo vid. Valckenar. Diatrib. Eur. Cap. VI p. 46 sqq. Recentiore tempore hanc quaestionem pertractarunt Ed. Müller de Euripide deorum popularium contemptore. (1826) et C. Hasse de Euripidis philosophia quae et qualis fuerit (1843).

([45]) Inter domesticas istas res in Euripidis fabulis prolatas humiliores multas quam pro tragoediae dignitate esse notum est, cuius rei plura exempla proponit Müller l. l. p. 257 sqq. cf. Stallbaum l. l. p. 22 sq. His vero minutissimis rebus colligendis et ad communis vitae consuetudinem adumbrandis quantum effectum sit ad mores depravandos resque domesticas corrumpendas ostendit poeta comica arte rem exaggerans in Thesmoph. v. 414 sqq.

tiunt et cohaerent. Nam quum Aeschylus granditate illa ac sublimitate et argumentorum et sententiarum animos spectantium commovisset et tanquam vehementi quodam impetu perfregisset: ipse reges et heroes fecit miseranda facie, humili vestitu indutos, veluti Oeneum Phoenicem Bellerophontem Philoctetam, denique Telephum illum mendico plane habitu omnibusque miseriis oppressum, quum flebili adspectu tum ingenii natura ad misericordiam hominum ciendam instructum; porro mulieres Phaedras Stheneboeas Melanippas omni agendi ac sentiendi ratione degeneres, flagitia sua callidis argumentationibus defendentes atque adeo honestatis nomine obtegentes([46]). Hos igitur heroes quum iis moribus, qui ipsius tempore valebant, descripsisset ea praecipue sentientes ac dicentes quae spectatoribus maxime placitura viderentur ac saepe dolo et malis artibus usos ad ea quae cuperent efficienda: hoc ipso infregit nervos illos quibus Aeschyli tragoedia continebatur, quae id potissimum spectarat ut animos audientium corroboraret moresque emendaret([47]). Quoque minus astutiam omnem expromere dubitavit, ad fraudes quum opus esset nectendas fallaciasque struendas proclivem, eo magis opprobria eiusdem tragici meruit quae sunt in Ranis, quibus dicitur homines ex bonis et generosis improbissimos reddidisse (v. 1011) ac nullum omnino esse malum, cuius ille non auctor et administer exstiterit (v. 1078).([48])

Hactenus diximus de ratione, qua argumenta fabularum ab Euripide tractata dicit Aristophanes, eique rationi concinere orationis habitum atque colorem consentaneum

([46]) V. Ran. 1063 sq. Acharn. 412 sqq. Nub. 922 sq. Pac. 147 sq. eoque pertinet quod ab Aeschylo ὁ πτωχοποιὸς καὶ ῥακιοσυρραπτάδης dicitur Ran. 842. — De mulieribus Euripideis v. Ran. 1043 sqq. 1079 sqq. Thesm. 466 sqq. 546 sqq. — De incestis apud eum amoribus Ran. 850, 1081, Nub. 1371 sq. — Conf. Stallbaum Comment. p. 17 sqq.

([47]) Conf. Bergk. Comm. de Com. Att. p. 154 sq.: „Ostendit Aristophanes nihil aliud spectare Euripidem quam ut voluptatum lenociniis spectantium animos efferat aut moeroris magnitudine afflictet, his autem impotentibus affectibus civium animos languescere et enervari." Laudat idem locum Platonis de Rep. III p. 395 D. „quo tangat philosophus tragicae artis depravationem ab Euripide profectam, qui qualia fuerunt aequalium ingenia, talem etiam ipse artem finxit et formavit, itaque vicissim unus praeter ceteros magnam vim in spectantium animos exseruit." Conf. Plat. Gorgiae p. 502: τί δὲ ἡ σεμνὴ αὕτη καὶ θαυμαστὴ ἡ τῆς τραγῳδίας ποίησις ἐφ' ᾧ ἐσπούδακε; — — δῆλον δὴ τοῦτό γε — ὅτι πρὸς τὴν ἡδονὴν μᾶλλον ὥρμηται καὶ τὸ χαρίζεσθαι τοῖς θεαταῖς. Denique de poetica Euripidis indole memorabilis est Longini locus περὶ ὕψους Cap. 15: ἔστι μὲν οὖν φιλοπονώτατος ὁ Εὐριπίδης δύο ταυτὶ πάθη μανίας τε καὶ ἔρωτας ἐκτραγῳδῆσαι, κἀν τούτοις ὡς οὐκ οἶδ' εἴ τισιν ἑτέροις ἐπιτυχέστατος· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ταῖς ἄλλαις ἐπιτίθεσθαι φαντασίαις οὐκ ἄτολμος. Ἥκιστα γέ τοι μεγαλοφυὴς ὤν, ὅμως τὴν αὐτὸς αὑτοῦ φύσιν ἐν πολλοῖς γενέσθαι τραγικὴν προσηνάγκασε. — — Τοῦ δ' Αἰσχύλου φαντασίαις ἐπιτολμῶντος ἡρωικωτάταις· — ὅμως ἑαυτὸν ὁ Εὐριπίδης κἀκείνοις ὑπὸ φιλοτιμίας τοῖς κινδύνοις προσβιβάζει.

([48]) Haec quidem astutia quum alibi tum in Thesmoph. multis salibus perstringitur; quaeque in personis Euripideis cernuntur ea in Euripidem ipsum tanquam auctorem et architectum referuntur. Thesm. 926 sq. οὐ γάρ προδώσω σ' οὐδέποτ', ἥνπερ ἐμπνέω Ἦν μὴ προλίπωσ' αἱ μυρίαι με μηχαναί. Conf. Ran. 80 sq. Eaque causa ὁ πανοῦργος ἀνὴρ — καὶ βωμολόχος Euripides ipse vocatur, Ran. 1520 sq.

est. Igitur quod acute dicitur in Ranis (v. 943) nugas atque argutias tanquam succum aliquem e libris expressum et percolatum tragoediae suae admiscuisse, hoc maxime ad labem illam referendum est, quae ut cetera pleraque e sophistarum scholis ad tragicam etiam artem redundavit. Quum enim eloquentiae studia sophistarum opera Athenis aucta essent latiusque serpsissent, subtilitas dialecticae artis non solum in rebus publicis, in contionibus, in iudiciis versata est, sed per omnia vitae genera diffusa in scena etiam regnare coepit, et Euripidis maxime poesin tantopere infecit ac conformavit, ut multa in fabulis eius comparerent quae rhetorem potius et philosophum sapere, quam scenae usui convenire viderentur (49). Utitur enim Euripides dicendi genere arguto illo quidem saepe ac subtili, sed tamen eo quod specie potius sapientiae niteat quam nativae poesis virtutem referat, interdum copioso nimis et diffluente; idque quum multorum hominum quales tunc erant sensus suavissime afficeret, nihil est quod frequentius ludibrio dederit comicus ac castigarit. Itaque antequam certamen inter utrumque tragicum de principatu institueretur, chorus animos audientium praeparans et quasi ad rem gravissimam componens, lubricam et volubilem eius poetae linguam dicit, quae sit magna adversarii molimina minutatim discerptura (Ran. 826 sqq.), ac saepius in eadem fabula ista in dicendo subtilitas et in concinnandis versibus limae labor significatur (50). Coniunctum est loquacitatis crimen quod quum in Ranis (v. 91, 1069, 1309) tum in aliis fabulis frequenter inculcatur (51). Quod vero usquequaque vitio vertit Euripidi, eum tragoediam robore ac vigore illo orbatam suavitate quadam et blanditiis perfudisse, id cum alio crimine coniunctum est et cohaeret, quum numeros et modos emollisse eum arguat nimiaque levitate atque exilitate pervertisse (cf. Ran. 1493). Id quam late pateat quamque acriter poeta comicus hanc modorum depravationem perstrinxerit, docet maxime Ranarum locus vv. 1298-1363, qui infra in disputationem vocabitur. — Iam vero si

(49) Conf. Theon. Progymn. (I p. 149 W.) Διὰ τοῦτο πρῶτον μὲν Ὅμηρον ἐπαινοῦμεν ὅτι οἰκείους λόγους περιτέθεικεν ἑκάστῳ τῶν εἰςαγομένων προσώπων, τὸν δὲ Εὐριπίδην καταμεμφόμεθα ὅτι παρὰ καιρὸν αὐτῷ (ἡ) Ἑκάβη φιλοσοφεῖ. Adde Rhet. II p. 229.

(50) Ran. 882: παραπρίσματ᾽ ἐπῶν. 900: προςδοκᾶν οὖν εἰκός ἐστι τὸν μὲν ἀστεῖόν τι λέξειν καὶ κατερρινημένον. v. 775 sqq.: οἱ δ᾽ ἀκροώμενοι | τῶν ἀντιλογιῶν καὶ λυγισμῶν καὶ στροφῶν | ὑπερεμάνησαν κἀνόμισαν σοφώτατον. Denique v. 1491 sqq. chorus postquam iustis laudibus extulit Aeschylum, iam Euripidem carpens haec addit: τὸ δ᾽ ἐπὶ σεμνοῖσιν λόγοισι | καὶ σκαριφισμοῖσι λήρων | διατριβὴν ἀργὸν ποιεῖσθαι | παραφρονοῦντος ἀνδρός. Conf. Müller l. l. p. 169 sqq.

(51) Ran. 1069: εἶτ᾽ αὖ λαλιὰν ἐπιτηδεῦσαι καὶ στωμυλίαν ἐδίδαξας. 91: Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερα. Ran. 815: ὀξυλάλου — ἀντιτέχνου. Ach. 415 sq.: δεῖ γάρ με λέξαι τῷ χορῷ ῥῆσιν μακράν. Conf. fragm. ap. Diogen. La. II, 18 Εὐριπίδης δ᾽ ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι τὰς σοφάς, de quo v. Dind. Ar. fragm. p. 21 et Welcker de Graec. trag. p. 455 sq. Hinc ὁ στρεψίμαλλος τὴν τέχνην Εὐριπίδης notatur ap. Eustath. (fr. 542 Dind., p. 1197 Bergk.). Ea loquacitas quum habeat aliquam cum rebus forensibus similitudinem ποιητὴς ῥηματίων δικανικῶν dicitur Pac. 533. Denique eodem fere spectat μὴ διασκανδικίσῃς Equ. 19, quo verbo simul humiles Euripidis natales more comoediae perstringuntur; quamquam paulo aliter explicat Leutsch. ad Diogenian. 8, 20.

multas causas habuit Aristophanes, quibus reprehenderet eum poetam, qui magno praeditus ingenio aequalium potius studiis obtemperasset, quam ad perfectae artis leges atque exempla tragoedias suas conformasset: iure quodam sibi concesso utitur, quod de industria omnia multum exaggeravit, et ardentibus quasi coloribus inductis veritatis rationem excedit; vix enim aliter quid ipse iudicaret quidque sibi offensioni esset spectantibus probare potuisset, nec alium invenisset poetam magis idoneum in quo artis depravationem ac vitia temporis non sine splendore quodam conspicua repraesentaret.

Atque haec de iudicio diximus quod Aristophanes ipse in Ranis de tragico poeta instituit, qua disputatione hoc effectum puto, ut singuli parodiarum loci hic illic dispersi et in tribus fabulis maxime frequentes intelligi melius rectiusque iudicari queant. Quae enim in Ranis ex universa argumenti tractatione tanquam vitia Euripidis apparent atque eminent, ea quidem his versibus, sicubi occasio tulit traductis, singulatim et quasi aliud agendo perstringuntur. — Ac primum saepe exprobrantur Euripidi communes quaedam sententiae, quae ad iudicia hominum pervertenda et corrumpenda valeant. Exordiamur a notissimo illo in Hippolyto versu, cuius propter sententiam et a civibus suis vexatus esse dicitur et a multis scriptoribus exagitatus est: ἡ γλῶσσ' ὀμώμοκ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος (52).

Quamquam praeter culpam Euripidis factum esse ut illis verbis parum honesta sententia subesse visa sit, loci ipsius perpetui ratione habita ostenderunt et Fritzschius et Stallbaumius (53); „neutiquam enim Hippolytus ita loquens inducitur, ut iuris iurandi religionem impie violandam censeat, sed potius sic ut se ius iurandum illud, quo iam obstrictus teneatur, imprudentem atque invitum praestitisse significet." Verumtamen versum hunc ex orationis perpetuitate avulsum ita detorquere proclive fuit, ut duplex fingi videatur iuris iurandi genus, alterum et mentis et linguae, quod utique servandum sit, alterum linguae solum, quo scilicet nemo teneatur. Hoc quidem nomine illum versum tribus locis taxavit Aristophanes (54). Primum in Thesmoph. ubi Mnesilochus, cui iure iurando spoponderat Euripides se eum non proditurum, parum veteratori fidens haec dicit v. 275: μέμνησο τοίνυν τοῦθ' ὅτι ἡ φρὴν ὤμοσεν, ἡ γλῶττα δ' οὐκ ὀμώμοκ', οὐδ' ὥρκωσ' ἐγώ. Deinde in Ranis, quo loco Bacchus quum poetam aliquem nobilem in Orco se quaerere dixisset quem ad superos reducere vellet, causam rei refert, quod poetam ingenio feracem non amplius illic inveniat, qui proferat singularem aliquam et audacem dictionem — ἢ φρένα μὲν οὐκ ἐθέλουσαν ὀμόσαι καθ' ἱερῶν, γλῶτταν δ' ἐπιορκήσασαν ἰδίᾳ τῆς φρενός (v. 101 sq.). Tertium denique in eadem

(52) Scriptorum locos, quibus hic versus respicitur, iam Valcken. diligenter congessit ad Hipp. 612. cuius copiis alii usi sunt.

(53) Fritzschius ad Ran. v. 1471, Stallbaum. Comm. l. p. 12.

(54) πικρῶς λογιστεύων, ut ait Eustathius ad Il. δ, p. 443, 37.

fabula, quum Bacchus, mutata post certamen illud inter utrumque tragicum institutum sententia, Euripidis preces ita aspernatur (v. 1471): *ἡ γλῶττ' ὀμώμοκ', Αἰσχύλον δ' αἱρήσομαι.*

Quem vero ultimum protulimus versum, eum si cum duobus aliis deinceps positis coniungas, aptissimus omnis locus est ad elegantiam parodiae vimque eius dramaticam perspiciendam, ad quod non attendisse miror recentissimum fabulae interpretem. Euripides enim ille, qui in epilogo fabulae ex inferis in terram redire cupiat et iterum atque iterum Bacchum precibus urgeat, tribus deinceps versibus repellitur ex ipsius tragoediis petitis, ut inscius et invitus adversario in manum dederit gladium quo iugularetur. In iis enim quae proxime sequuntur, quum Euripides Baccho dixisset: *αἴσχιστον ἔργον προςβλέπεις μ' εἰργασμένος;* reponit ille v. 1475 plane εὐριπιδίζων: *τί δ' αἰσχρὸν ἢν μὴ τοῖς θεωμένοις δοκῇ;* Est autem haec parodia Euripidei versus ex Aeolo: *τί δ' αἰσχρὸν ἢν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ,* isque versus saepius citatus ([55]) merito multis offensioni fuit et Antisthenem aliquando ad ἐπανόρθωσιν provocarat *αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρὸν, κἂν δοκῇ κἂν μὴ δοκῇ·* ipsam vero sententiam ab Aristophane acrius perstringi non dixerim, si quidem in locum eius vocis, in qua sententiae quasi cardo versatur, alia substituta est. — Post haec Euripides (v. 1476): *ὦ σχέτλιε περιόψει με δὴ τεθνηκότα;* cui Bacchus: *τίς οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν, τὸ πνεῖν δὲ δειπνεῖν, τὸ δὲ καθεύδειν κώδιον.* Atque his quidem Euripidis versus risit, quos in Polyido ita protulerat: *τίς δ' οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν, τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν κάτω νομίζεται.* Praeclara quidem sententia ab Orpheo ut videtur profecta ([56]), eamque etiam Plato respexit qui omnem hanc doctrinam quum alibi tum in Phaedone exposuit; sed primum erat hoc comoediae ut traduceret ea quae subtilius acutiusque dicta viderentur; tum vero Euripides in eo etiam offensionem dedit, quod iusto saepius hanc sententiam repetiit — cf. Phrixi fr. 14, Erechth. fr. 11. Ar. Ran. 1082 — et tum quoque audientibus obtrusisse videtur, quum neque loco neque personis convenienter factum esset ([57]).

Plures sunt versus Euripidis, qui ita traducuntur ut morum corruptela notetur quae res etiam domesticas Atheniensium invaserit atque infecerit. Quo pertinent illa in Thesmoph. v. 403 sq.: *ἀνὴρ ἐρωτᾷ· τῷ κατέαγεν ἡ χύτρα; | οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐ τῷ Κορινθίῳ ξένῳ.* Quibus carpit Euripidem qui haec in Stheneboea protulerat (fr. 5): *πεσὸν δέ νιν λέληθεν οὐδὲν ἐκ χερὸς, | ἀλλ' εὐθὺς αὐδᾷ· τῷ Κορινθίῳ ξένῳ,* in eoque Cratinum auctorem habuit, qui eundem locum in ludibrium detorserat ([58]). In eadem fa-

([55]) Conf. Macho ap. Athen. XIII p. 582 D. Plut. Mor. p. 33. — Alia vide ap. Matth. ad Eur. fr. p. 13 sq.

([56]) V. Lobeck Aglaoph. p. 805. Ad Prodici maxime disciplinam retulit Bergk. in Zimmermanni Z. Alt. W. 1835 p. 962.

([57]) Schol. Ran. 689 (700): ἔθος δὲ ἔχουσιν οἱ κωμικοὶ παρακωμῳδεῖν τοὺς τραγικοὺς, ὅταν πολλάκις καὶ συνεχῶς χρῶνται τοῖς αὐτοῖς. — Conf. de h. l. Matth. Eur. fragm. p. 311.

([58]) Fritzsche ad Thesm. l. l. Meineke ad Cratin. p. 181. Welcker d. Graec. trag. p. 780.

bula v. 413 (*διὰ τοῦπος τοδί·*) *δέσποινα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γυνή* ex Euripidis Phoenice (fr. 1) translatus, eaque sententia alibi quoque exagitata est ([59]). Sed multo latius patet ac maioris in causa nostra momenti est, quod illa dialecticae artis subtilitas, quae ex sophistarum scholis profluxit, persaepe ludibrio datur; quod quidem plerumque sine acerbitate, hilari quodam iocandi genere fieri in natura rei positum est. Illustris in hac re locus est in Acharnensibus inde a v. 393, quo loco Aristophanes primum quasi ipsam artificis officinam praeclara imagine nobis exhibuit, tum vero ars ista quam acri et praesente vi valeat, facetissime ostendit. Nam quum Dicaeopolis, homo probus et frugi, quem belli molestiarum nimium quantum taederet, tragicum poetam adisset, ab illo quidem sophistarum artificia et fallacias repetens, quibus ad bellum dissuadendum et importunos illos Acharnenses repulsandos commode uteretur; primum ei quaerenti Euripidem famulus respondet (v. 396 sqq.) *οὐκ ἔνδον, ἔνδον ἐστὶν εἰ γνώμην ἔχεις. | ὁ νοῦς μὲν ἔξω συλλέγων ἐπύλλια | οὐκ ἔνδον, αὐτὸς δ' ἔνδον ἀναβάδην ποιεῖ* ([60]). In progressu vero huius scenae quum assiduis precibus ab Euripide impetrasset ut et Telephi panni et quaecunque ad humilem apparatum scenicum pertinebant mutuo sibi darentur, quibus scilicet animos audientium commoturum se et fracturum confideret, eoque facto ipsum paene Euripidem imbibisset (v. 448): iam ipsum Dicaeopolin plane ex ea quam induerat persona loqui ac singulis etiam versibus integris ab Euripide desumptis tanquam suis uti consentaneum erat ([61]).

Huc pertinent illi versus, quibus in sermone cum Euripide habito utitur v. 440 sq.: *δεῖ γάρ με δόξαι πτωχὸν εἶναι τήμερον, | εἶναι μὲν ὅσπερ εἰμὶ, φαίνεσθαι δὲ μή.* 446: *εὐδαιμονοίης, Τηλέφῳ δ' ἁγὼ φρονῶ* (cf. Eur. Tel. fr. 16) et quos postea in causa agenda profert v. 497 sq.: *Μή μοι φθονήσητ', ἄνδρες οἱ θεώμενοι | εἰ πτωχὸς ὢν ἔπειτ' ἐν Ἀθηναίοις λέγειν | μέλλω περὶ τῆς πόλεως, τρυγῳδίαν ποιῶν.* v. 540: *ἐρεῖ τις, οὐ χρῆν. ἀλλὰ τί χρῆν; εἴπατε.* v. 543: *καθῆσθ' ἂν ἐν δόμοισιν; ἢ πολλοῦ γε δεῖ.* 550 sq.: *ταῦτ' οἶδ' ὅτι ἂν ἐδρᾶτε· τὸν δὲ Τήλεφον | οὐκ οἰόμεσθα, (νοῦς ἄρ' ὑμῖν οὐκ ἔνι.)* Hos locos ex ipsa Telepho deflexos esse grammaticorum testimonio constat; erantque causae quam agebat omnique argumento aptissimi, et plerique quidem ita comparati ut subtilis illa et arguta dicendi ratio appareret ([62]). Similiter sub ipsius Euripidis persona acutulae in disserendo spinae et disputationes in rebus vulgaribus paulo abstrusiores in Thesmoph.

([59]) V. Arist. fr. 497 Dind., p. 1180 Bergk.

([60]) Recte ibi Schol.: *σκώπτει πάλιν τὸν Εὐριπίδην διὰ τὸ ἐν τοῖς λόγοις εἶναι συλλογιστικόν.* Atque huiusmodi verborum et sententiarum argutias ex Eurip. tragoediis satis multas post Valckenarium congessit Ed. Müller in Hist. artis I p. 276 sq.

([61]) Argum. Acharn.: *ἐλθὼν ὡς Εὐριπίδην αἰτεῖ πτωχικὴν στολήν· καὶ στολισθεὶς τοῖς Τηλέφου ῥακώμασιν παρῳδεῖ τὸν ἐκείνου λόγον.*

([62]) Neque tamen in omnibus quae in oratione ista Acharn. 497—556 ab Euripide desumpta sunt, illudit poetam tragicum vel cavillatur. Ita tres versus continui *μή μοι φθονήσητ', ἄνδρες οἱ θεώμενοι* cet. sunt illi quidem expressi ex Euripideis *μή μοι φθονήσητ', ἄνδρες Ἑλλήνων ἄκροι | εἰ πτωχὸς ὢν τέτληκ' ἐν ἐσθλοῖσιν λέγειν,* sed causa irrisionis nulla plane suberat.

exordio (v. 5—21) vellicantur (63). Eodem spectant artificiosae illae verborum ambages atque anfractus, quo nomine oblique perstringitur Euripides Equ. v. 16: πῶς ἂν σύ μοι λέξειας, ἁμὲ χρὴ λέγειν. Traductus est hic versus ex Hippolyto (345) ubi optime convenit Phaedrae cogitanti, quibus artibus nutricem cogat dicere ea, quae ipsam potius dicere oporteat, cupit enim ut nutrix amorem illum turpem et illicitum per coniecturam assequatur, quem confiteri ipsam pudebat. Aristophanes autem quum eadem verba in simili causa Niciae suo tribuat, totius parodiae artificium in eo cernitur „ut Nicias consilium illud turpe atque ignavum, quod tamen propter eandem ignaviam ipse proferre non audeat, per ridiculas ambages Demostheni particulatim quasi instillet, Euripideisque argutiis efficiat ut vocem ipsam quo tendat αὐτομολῶμεν alter eloquatur, sibi idem quod Phaedrae tragicae diverticulum maneat: σοῦ τάδ', οὐκ ἐμοῦ κλύεις" (64). Hinc vero aptum est Demosthenis responsum μή μοί γε, μή μοι, μὴ διασκανδικίσῃς h. e. apage nugas istas quae scandicem olent Euripideam (διευριπιδίσῃς explicat Schol.). — Atque haec quidem ad sophisticam disputandi rationem pertinent ac dicendi elegantiam, quam in summa argumentorum copia et varietate Euripides sectetur et affectet. Ut vero eundem poetam in Ranis nimia suarum laudum opinione elatum facit et vel manifesta vitia virtutum nomine obtegentem, ita in aliis etiam fabulis personarum Euripidearum insolentiam traducit, quae in eo conspicitur ut de se ipsi non admodum modeste sentiant, sed magniloquentius sapientiam suam iactent atque venditent (65). Ita quidem Lysistrata in fabula cognomine ut viros ad pacem cum Lacedaemoniis faciendam hortetur, Melanippae partes, quae in simili causa versatae fuerant, in se recipit et consimili fere ratione loquitur 1124 sqq.: ἐγὼ γυνὴ μέν εἰμι, νοῦς δ' ἔνεστί μοι | αὐτὴ δ' ἐμαυτῆς οὐ κακῶς γνώμης ἔχω | τοὺς δ' ἐκ πατρός τε καὶ γεραιτέρων λόγους | πολλοὺς ἀκούσασ' οὐ μεμούσωμαι κακῶς sqq. (66). Neque aliter in Thesmoph. comicus Euripidem facit ipsum versibus ex Aeolo sua utentem v. 177: (Ἀγάθων) σοφοῦ πρὸς ἀνδρὸς, ὅστις ἐν βραχεῖ | πολλοὺς καλῶς οἷός τε συντέμνειν λόγους, eundem ex Medea sua magnos sibi spiritus sumentem v. 1130: σκαιοῖσι γάρ τοι καινὰ προσφέρων σοφὰ | μάτην ἀναλίσκοις ἄν (67). Ne multa, in tribus illis fabulis, in quibus Euripides personatus traducitur, ipse tragicus ex sua persona versus multos profert,

---

(63) Conf. Müller l. l. p. 177 sq.

(64) Vid. C. F. Hermannum in Progymn. ad Arist. Equ. III p. 20 sq., quem ipsis verbis secutus sum. Conf. Müller l. l. p. 172.

(65) Conf. Plut. π. τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν p. 539, ὁ γοῦν Εὐριπίδης — φορτικωτάτῃ κέχρηται μεγαλαυχίᾳ τῷ καὶ συγκαταπλέκειν τοῖς τραγῳδουμένοις πάθεσι καὶ πράγμασι μηδὲν προσήκοντα τὸν περὶ αὑτοῦ λόγον.

(66) Vide quae de hoc loco disputat Müller l. l. p. 174.

(67) Conf. Eurip. Med. 299 sq. σκαιοῖσι μὲν γὰρ καινὰ προσφέρων σοφὰ | δόξεις ἀχρεῖος κοὐ σοφὸς πεφυκέναι, ubi conf. Pors. — Qui ap. Arist. praegrediuntur versus 1128 sq. αἰαῖ, τί δράσω, πρὸς τίνας στρεφθῶ λόγους; | ἀλλ' οὐκ ἂν ἐνδέξαιτο βάρβαρος φύσις, eos ex Andromeda desumptos esse suspicatur Matthiae. Conf. Fritzsche ad Thesm. p. 491, Welcker d. Graec. trag. p. 664.

quos vel hodie in tragoediis eius legimus, vel ex deperditis adscitos esse grammaticorum fide constat. Qui quum dictionis Euripideae impressa vestigia habeant, ea ratione positi sunt, ut quae propria essent huius poetae fida potius imitatione nec tamen sine ludibrio aliquo exprimerentur quam acerbioribus salibus perstringerentur. De quo supra diximus (pag. 17 n.) idque hoc loco, quoniam alia interdum videri potest parodiae causa, brevius repetimus. Eodem spectat quod insolentior vocum singularum apud Euripidem usus, sicubi occasio fert, identidem notatur, qualia sunt illa in Acharn. *τί λέλακας;* (v. 410) *ἄπελθε λαΐνων σταθμῶν* (449) *τί δ' ὦ τάλας σε τοῦδ' ἔχει πλέκους χρέος;* (454), ad quam interrogationem lepide ab altero respondetur, *ἴσθ' ὀχληρὸς ὢν δόμοις* (460), *κλεῖε πηκτὰ δωμάτων;* (479 cf. Eur. ap. Polluc. X, 27); haec enim omnia a vulgari loquendi consuetudine aliquantum discrepant produntque Euripideam in dicendo *σεμνότητα.* — Ac patet cur Cephisophon etiam in Acharn., Mnesilochus in Thesmoph. simili dicendi genere utantur; uterque enim usu et consuetudine totus ex Euripide pendebat. Itaque alter eorum quum muliebri veste indutus mulierumque coetui immixtus Euripidem suum defendere conetur, gravibus illum quidem criminibus a mulieribus oneratum conviciisque proscissum: orationi suae et facetiarum et obscenorum plenae (Thesm. 466-519) Euripidea quaedam inserit; quibus vero verbis defensionem illam concludit *κᾆτ' Εὐριπίδῃ θυμούμεθα | οὐδὲν παθοῦσαι μᾶλλον ἢ δεδράκαμεν,* ea acute sane dicta e Telepho manarunt (68). Denique illud apparet cur Bacchum quoque in Ranis saepius Euripideo more loquentem fecerit. Is enim deus ludorum scenicorum tutor, cuius in personam Aristophanes simul omnia ista transtulit, quibus ingenium moresque populi Atheniensis eorumque de poesi iudicium illustraret (69), quum ad inferos venisset, in sermone cum Hercule habito magno se Euripidis desiderio teneri dicit (v. 52 sqq.) causamque adventus versu ipsius poetae prodit (v. 71): *δέομαι ποιητοῦ δεξίου· οἱ μὲν γάρ οὐκέτ' εἰσίν, οἱ δ' ὄντες κακοί.* Idem postea procedente sermone poetam se quaerere ait ingenio feracem, *ὅστις φθέγξεται | τοιουτονί τι παρακεκινδυνευμένον | αἰθέρα, Διὸς δωμάτιον ἢ χρόνου πόδα* (70), huiusmodi enim sententiis et subtilibus dictis mirum quantum se delectari confitetur. Itaque his locutionibus aliud aliquod Euripideum mox subnectit v. 105: *μὴ τὸν ἐμὸν οἴκει νοῦν, ἔχεις γὰρ οἰκίαν.* Nempe poeta tragicus versu alicubi usus erat: *μὴ τὸν ἐμὸν οἴκει νοῦν, ἐγὼ γὰρ ἀρκέσω,* ut esset

(68) Omnem parodiae huius causam bene perspexit Fritzschius p. 188: „Telephus enim habitu mendici, nomineque ementitio, publice Achivorum duces in concione obiurgarat itaque finiverat: *εἶτα δὴ θυμούμεθα | παθόντες οὐδὲν μᾶλλον ἢ δεδρακότες.* Mnesilochus feminae vestitu, celatoque nomine, publice genus mulierum in concione insectatur, itaque finit — —"

(69) Conf. Müller l. l. p. 263 sq.

(70) Bergk. Reliquiae Com. Attic. p. 152. Stallbaum de persona Bacchi in Ranis Ar. (1839). Sch. Ar. Ran. 72: *Εὐριπίδου ἐξ Οἰνέως·* (A) *σὺ δ' ὧδ' ἔρημος ξυμμάχων ἀπόλλυσαι;* | (B) *οἱ μὲν γὰρ οὐκέτ' εἰσὶν, οἱ δ' ὄντες κακοί.* — In Melanippa Eur. dixerat: *ὄμνυμι δ' ἱερὸν αἰθέρ', οἴκησιν Διός,* eodemque versu Eur. personatus utitur in Thesm. 272. Alterum *καὶ χρόνου προὔβαινε πούς* in Alexandro tragicus dixerat, *δαρὸν χρόνου πόδα* in Bacchis 889.

sententia, noli tu mentem meam quasi domum aliquam regere; quam dictionem insolentiorem ut notaret Aristophanes, admodum urbana parodia alteram versus partem immutavit.

Porro v. 282 οὐδὲν γὰρ οὕτω γαῦρόν ἐσθ', ὡς Ἡρακλῆς imitatione ex Euripideo expressit, οὐδὲν γὰρ οὕτω γαῦρον ὡς ἀνὴρ ἔφυ (71). Denique v. 931 sq.: ἤδη ποτ' ἐν μακρῷ χρόνῳ νυκτὸς διηγρύπνησα | τὸν ξουθὸν ἱππαλεκτρυόνα ζητῶν τίς ἐστιν ὄρνις parodia est versuum ex Hippolyto 378 sq.: ἤδη πότ' ἄλλως νυκτὸς ἐν μακρῷ χρόνῳ | θνητῶν ἐφρόντισ' ᾗ διέφθαρται βίος, et egregium sane planeque comoedia dignum hoc est, quod quum apud Euripidem Phaedra rem gravissimam magnique momenti proferat, quam nocturnis cogitationibus reputandam sibi sumpserit — quippe ἐν νυκτὶ βουλὴ τοῖς σοφοῖσι γίγνεται, — Bacchus contra rem specie quidem grandem at ipsam tamen levissimam et prorsus οὐκ ἄξιόν γε πρᾶγμα τῆς ἀγρυπνίας tantas sibi curas insomnesque adeo noctes efficere dicit. Eadem ratione et similibus verbis ingressus poeta exspectationem frustratur Eq. 1290 sq.: ἢ πολλάκις ἐννυχίαισι | φροντίσι συγγεγένημαι | καὶ διεζήτηχ' ὁπόθεν ποτὲ φαύλως | ἐσθίει Κλεώνυμος, quo loco a Schol. adnotatum legitur Εὐριπιδεία ἡ παρῳδία ἐξ Ἱππολύτου (72). — Atque illa quidem Bacchus, qui in deliciis habebat Euripidem, loquitur; quid vero quod alii etiam qui in scenam producuntur, quique non ita describuntur ut interiorem cum Euripide familiaritatem contraxerint, et ipsi huiusmodi locutiones ei poetae consuetas ceterum haud vulgares usurpant. Qualia sunt illa τί χρέος ἔβα με Strepsiadis in Nub. 30, πράγματα βόσκειν in Vesp. 313, ἀνόνητον ἄρ' ὦ θυλάκιόν σ' εἶχον ἄγαλμα ibid. 314, quo loco versum Thesei Euripidis (fr. 3) ἀνόνητον ἄγαλμ' οἴκοισι τεκών ad sacculum transtulit pane et farina carentem, eoque inutilem factam supellectilem; atque eodem modo Euripidis versum Ἑκάτης ἄγαλμα φωσφόρου κύων ἔσει traduxisse videtur fr. 535 Dind. (p. 1195 Bergk.) Huiusmodi plura in omnibus fere fabulis deprehendes, neque tum solum quum oratio supra soccum tollitur, de quo antea diximus, sed etiam ita ut statuendum videatur, tragicum istum propter audaciores aliquas dictiones a comico poeta aliud agente illusum ac vellicatum esse. Quae vero priore tempore insolentiora erant visa, ea frequentiore usu paulatim tritiora facta esse, patet ex Ranarum loco v. 980-991, ubi Bacchus tales dictiones qualis τὸ τρυβλίον τέθνηκέ μοι perstringit tanquam more et usu iam apud Athenienses receptas (73).

---

(71) Plut. Mor. p. 779 D, Dion. Chrys. LII p. 551 B., Valcken. Diatribe Eur. p. 117. Alios qui hunc versum usurparint vid. ap. Matth. fr. Eur. p. 278.

(72) Quae vero Ran. 1425 Bacchus dicit ποθεῖ μέν, ἐχθαίρει δέ, βούλεται δ' ἔχειν, ut significet animum, quo tum Athenienses in Alcibiadem exsulem fuerint, is versus teste Schol. ad Ionis similitudinem compositus est. Apud Ionem enim in Φρουροῖς, σιγᾷ μέν, ἐχθαίρει δέ, βούλεταί γε μήν Helena de Menelao dixisse videtur.

(73) Sch. Ran. 986 (1017) τέθνηκέ μοι, ἀντὶ τοῦ κέκλασται ἢ ἀπώλετο, πρὸς τὰς λέξεις Εὐριπίδου. Omitto quod crebro etiam recentioris aetatis Comici audaculas aliquas vel dictiones vel sententias Euri-

Ac quoniam de loquacitate supra diximus, quam Aristophanes eidem poetae non semel crimini dederit, eo referendum videtur, quod eum propter inanes singularum vocum repetitiones saepius carpit et insectatur. Namque habebat hoc Euripides, ut quum affectus quidam exprimendi essent, singulas voces iterare soleret; quod quum ne tum quidem quum minus loco aptum esset committere dubitaret, eoque facto a nativo dictionis vigore aberrasset, multam cavillationem lususque comoediae provocavit. Itaque in Ranis, postquam nuntiatum est, certamen inter tragicum utrumque institutum iri, Aeacus audito Euripidis nomine *ἆ, πρᾶγμα πρᾶγμα μέγα κεκίνηται μέγα* exclamat (v. 759) eoque pravam illam poetae consuetudinem credas occupando significatam. Insignes vero, qui huc pertinent, duo loci sunt, alter in Ranis 1351 sqq.:

ὁ δ' ἀνέπτατ' ἀνέπτατ' ἐς αἰθέρα, | ἐμοὶ δ' ἄχε' ἄχεα κατέλιπεν |
δάκρυα δάκρυα τ' ἀπ' ὀμμάτων | ἔβαλον ἔβαλον ἁ τλάμων,

hisque patet Euripidis illum morem egregia imitatione adumbratum esse, nec probanda Fritzschii sententia, cui haec ipsis verbis ex Euripidis fabula aliqua deperdita transposita videntur. Alter locus in Thesmoph. exstat v. 914 sqq.:

λαβέ με, λαβέ με πόσι, | περίβαλε δὲ χέρας |
φέρε σε κύσω. ἄπαγέ μ' ἄπαγ' ἄπαγ' ἄπαγέ με,

de quibus infra ubi de integro loco disputabo, dicam accuratius. Haec quantum distent a repetitionibus illis vere emphaticis, quales sunt in Soph. Oed. R. 1329 sq. Oed. Col. 119, Phil. 1041 facile perspectu est. Eodem spectat in Equitibus versus qui parodiam aliquam Euripideam excipit (19) *μή μοί γε, μή μοι, μὴ διασκανδικίσῃς* (conf. p. 28) ac fortasse in Pac. 385 *μηδαμῶς ὦ δέσποθ' Ἑρμῆ, μηδαμῶς μὴ μηδαμῶς.* Simili ratione explicaverunt veteres quae sunt in Avibus 1720 *ἄναγε δίεχε, πάραγε πάρεχε* ubi Schol.: *χλευάζει δὲ, παρὰ τὰ ἐκ Τρῳάδων Εὐριπίδου* (v. 308) *ἄνεχε πάρεχε, φῶς φέρω, (σέβω, φλέγω)* et Vesp. 1323, *ἄνεχε πάρεχε,* ad quem locum similis exstat in scholiis annotatio. Conf. Acharn. 280 sqq. cum Rhesi v. 675 sq. Verum in hac vocum vel earundem vel persimilium iunctura consuetudinis quidem Euripideae memor fuisse videtur, neque tamen singulos respexisse eius fabularum locos. — Alia autem ratione explicandae sunt in choricis carminibus, quibus Euripidea poesis traducitur, singularum syllabarum diductiones, de quibus infra suo loco dicemus.

Atque haec quidem hactenus; in quibus recensendis quum omnes parodias, quae nobis innotuerint proferre nec volui nec potui, vix tamen quidquam mihi omisisse videor, quod alicuius esset momenti ad quaestionem ipsam diiudicandam. Huius igitur disputationis summa eo redit, ut Euripidem in Ranis propter artis depravationem multis nominibus vituperatum appareat, eaque comoediae licentia adaucta esse et exaggerata; singulos versus quos ex tragoediis eius adsciverit et in usum suum converterit, in risum ac ludicrum detortos esse, at paucos ita comparatos ut gravio-

---

pidis maledico dente carpserunt, cuius rei exempla protulit Müller. l. l. p. 207-210, cf. Cobet. in Plat. Com. p. 117 sq.

ribus illis criminibus respondeant acerbiusque et iniquius iudicium, quod poeta comicus fecerit, comprobent ac declarent. Sed alia est eorum versuum ratio qui ipsi quoque ab Euripide desumpti, non occasione data perstringuntur, sed consulto deditaque opera exagitantur, idque re prius indicta ideoque diutius tractata, ad quod parodiae genus iam proxime accedo. In quo quoniam aliud poetae consilium cernitur, omnis disputatio ex iis quae antea protulimus repetenda videtur ac praemunienda.

IV. Varia parodiae genera quum tractavimus, aliquot attulimus exempla quibus non singuli poëtarum loci sed plures vel deinceps vel coniunctim in ridiculum deflexi sint. Ac deinceps quidem hoc factum diximus in illo Equitum loco v. 1240-1252, quo per alternos sermones parodiarum series interrumpitur; plures vero poetarum tragicorum loci ita coniuncti ut unius parodiae aliquem complexum efficiant, quum quidem ii qui loquuntur vehementiore affectu commoventur, sunt in Nub. 1154-1166, in Vesp. 306-316, ibid. 751-759, in Pace inde a v. 82, in Ran. 470-478, ib. 1469-1478, fortasse etiam in Lys. 1124-1134; quos locos supra tetigimus. In illis vero quum parodia primum fortuito fiat vel fieri videatur, tamen si continuatur ulteriusque pertexitur consulto hoc et cogitate a poeta institui apparet. Hinc commode transimus ad singulare aliquod parodiae genus, quod cum ipso fabulae argumento ita coniunctum tamque arcte connexum est, ut integra quaedam actionis pars eo genere contineatur. Atque illud quidem ab iis quae antea singula recensuimus ipsa natura differt; non enim occasione data et quasi praetereundo singuli versus traducuntur, neque vitia poetae in universum notantur: sed ipsi versus quales a poeta tragico profecti sunt vel etiam paucis immutati eo maxime consilio proferuntur, ut vel a spectantibus vel etiam ab iis, quorum partes sunt in fabula, in censuram vocentur ac salibus comoediae perspergantur. — Iam totam aliquam fabulam ita ab Aristophane compositam esse ut singula quaeque ad exagitandam tragoediam unam omnia spectarent, perversa opinio est, quam inveterato errore propagatam tanquam comoediae instituto repugnantem Bergkius refutavit([74]); sed quae est comicae artis natura, fieri non potuit quin in singularum comoediarum singulis partibus inventa quaedam tragicorum dramatica ista quam diximus ratione haud illepide perstringerentur. Huc referes, ut deperditarum comoediarum fragmenta mittamus, plura ex Acharnensibus, singula ex Ranis et magnam partem Thesmophoriazuson. Atque Acharnensium quidem illam partem totam ex Telepho adumbratam v. 497-556 supra occupavimus id potissimum agentes ut qua ratione singulos tragici illius versus usurparit ostenderemus: hoc addo, latius serpere inventum Aristophanis et per priorem etiam fabulae partem diffundi. Namque quod in tragoedia Telephus Orestem infantem de cunabulis rapuit, minitans se eum occisurum nisi Achivi ipsi mederentur (Hygin. fab. 101); id lepide Aristophanes imitatus est, quum Dicaeopolis altera manu cor-

([74]) V. Bergk. Arist. fragm. p. 943, 1096, 1133, 1167. cf. Welcker Graec. trag. p. 563.

bem carbonariam tenens quam repente arripuerat, altera gladium ostentans, exitium illi Acharnensium tanquam indigenae ac municipi minetur, eoque facto periculum repellat concordiamque adducat (75). Quodque Telephus Euripideus dicit (fragm. 5) Ἀγάμεμνον, οὐδ' εἰ πέλεκυν ἐν χεροῖν ἔχων | μέλλοι τις εἰς τράχηλον ἐμβαλεῖν ἐμόν, | σιγήσομαι, δίκαιά γ' ἀντειπεῖν ἔχων: id quoque comoediae festivitate in ludibrium vertitur v. 317: κἂν γε μὴ λέγω δίκαια μηδὲ τῷ πλήθει δοκῶ, | ὑπὲρ ἐπιξήνου θελήσω τὴν δέρην ἔχων λέγειν. — In Ranis vero postquam vitia Euripidis non singulorum versuum sed universae tragoediae ratione habita castigavit: ut ab initio fabularum ordiatur, in prologos poetae invehitur h. e. non totam tragoediae partem quae posita est ante chori πάροδον, sed primam orationem eius qui primus inducitur. Namque Aeschylum suum, ut redderet hoc Euripidi qui ipsius verba quaedam in exordiis parum scilicet accurate distincta subtilius quam verius indagasset, Aeschylum igitur id facit agentem ut integri quidam versus Euripidei ex fabularum initiis una eademque formula addita corrumpantur et in risum convertantur. Euripidem enim prologos suos recitare exorsum, postquam versum vel alterum vel tertium vel etiam primum dimidiatum protulit, interpellat Aeschylus interiecto trito illo ac vulgari ληκύθιον ἀπώλεσεν, idque ita annectitur ut non solum numeri salvi maneant, sed etiam integra quaedam sed futilis exsistat sententia. Huius perpetui loci, qui est v. 1180-1247, rationem quum multi viri docti explicarint, plerique quaesitum videri illud inventum et lapsum esse in iocando poetam concedentes (76), nolo rei aliquantum impeditae nec multum fructuosae diutius immorari. Sed ut paucis quae rei summa est complectar, reprehendi videtur in exordiis primum nimia dicendi aequabilitas, quum eadem ubique cantilena sine ulla varietate ad satietatem audientium occinitur (77), deinde hoc dicit, Euripidem grandia professum saepe ampullas illas verborum perdidisse et in dicendi genus humile ac vulgare delapsum nihil praestare quod hoc tanto hiatu dignum videatur (78).

Eodem pertinet nobilissimus ille fabulae locus (v. 1378-1413), quo loco uterque tragicus versus suos, quos ut optimos e dramatis suis elegerit, tanquam mercem aliquam lancibus librae in scenam apportatae imponere iubetur, scilicet ut pondus versuum non aurificis statera, sed populari quadam trutina examinetur. In qua iudi-

(75) Acharn. v. 325-342. Schol.: τὰ δὲ μεγάλα πάθη ὑποπαίζει τῆς τραγῳδίας. Cf. Ed. Müller. l. l. I p. 159. Welcker l. l. p. 481.

(76) In his Müller l. l. p. 156 sq., 266. Stallbaum in Comm. de pers. Eurip. p. 27 sq. Fritzsch. ad Ran. p. 369 sq., R. Hanovius peculiari commentatione quam „de Ar. ampulla versuum corruptrice scripsit. a. 1844. Cuius disputatio eo redit, ut Aristophanem exili et tenui illo additamento versus senarios tragici lusisse contendat „ita ab Euripide ipso pessumdatos, ut gravitati tragicae vehementissime obtrectatum sit admista levitate ac tenuitate" (p. 9), lusisse item orationis formas creberrime repetitas, non lusisse res in prologis tractatas (p. 10 sqq.). Adde Od. Müller ad Aesch. Eumen. p. 97 not.

(77) Schol. Ran. v. 1250 (1219): διαβάλλει τὴν ὁμοειδίαν τῶν εἰσβολῶν τῶν δραμάτων.

(78) Schol. Acharn. 589: ἀπὸ τοῦ λακεῖν ἐν παραγώγῳ γέγονε τὸ ληκύθιον. ληκυθίζειν γὰρ τὸ μεῖζον βοᾶν καὶ ψοφεῖν. Hinc vocem ληκυθιστής vel κοιλόφωνος vel μακρόφωνος explicant lexicographi.

cii expendendi parte facile est intellectu, Aeschyli versus multum pondere suo praevalere, Euripidis lancem ocius sublime ferri; ac patet neque Euripidis tenuitatem neque gravitatem Aeschyli clarius ob oculos poni potuisse, praesertim quum exempla utrimque subtiliter delecta et composita sint et Bacchus ille multa cum hilaritate multisque facetiis interiectis iudicis personam sustineat ([79]).

In altera fabula, quae a mulieribus Thesmophori deae ludos celebrantibus nomen traxit, multae insunt parodiae continua quasi serie connexae et in actionem fabulae ita implicitae ut partem eius comoediae efficiant pulcherrimam. Eae parodiae, prouti argumentum poscebat, primum ex Palamede, deinde ex Helena, postea ex Andromeda desumuntur ([80]). Atque hoc quidem ludicri genus non facticium neque extrinsecus arcessitum, sed singularis quaedam argumenti similitudo operi instituendo occasionem dedit. Mnesilochus enim qui propter iniurias mulierum generi illatas in scena custodiebatur, quum spem libertatis in uno Euripide poneret, cuius in gratiam periculum gravissimum subisset, in desperata rerum conditione Palamedis reminiscitur consiliorum pleni eiusque invento salutem ipse petit (v. 765 sqq.). „Quumque Euripides in illa fabula Oeacem multis remis necem Palamedis inscribere eosque in mare omnes proiicere iussisset, sperantem fore ut unus de tot remis ad Euboeae litus appulsus Nauplium de morte filii sui certiorem faceret", ipse quidem Mnesilochus deorum simulacra, quae multa erant in Thesmophorio, suo inscripta periculo proiicit, ut Euripidi mitteret literas et ab illo subventuro sibi in libertatem vindicaretur ([81]). Qua machina quum nihil se egisse intelligeret, scilicet quod Euripidem frigidi dramatis puderet (v. 847 sq.), ibi ille qui esset muliebri veste indutus, Helenae Euripideae partes in se recipit, versibusque ex ea fabula petitis Euripidem allicit, a quo sperat se tanquam ab altero Menelao abductum iri; isque suavibus ac domesticis versibus captus in scena comparet et plane ex Menelai sui ore, versibus eiusdem fabulae respondet (v. 846-928). Quibus artificiis postquam adeo nihil profecerunt ut Mnesilochus vinculis etiam gravioribus constrictus severius custodiretur, ibi ille commode Andromedae reminiscitur, quam scopulis alligatam Perseus liberaverat ([82]), huius partes sollicito animo sustinet et quum sibi a Scytha custode barbaro tanquam a bellua marina exitium metuat, ab Euripide tanquam Perseo suo enixe petit, ut his se miseriis eripiat. Itaque poeta Persei habitu indutus in scenam venit et quum huius tragoediae versus, scite ad rem praesentem accommodati, ab utrisque proferantur, parodiae se excipiunt multis conditae salibus ac facetiarum plenissimae (v. 1008-1135).

([79]) Conf. Stallbaum l. l. p. 24, Fritzsch. ad Ran. l. l.

([80]) Conf. praeter Fritzschium Müller l. l. p. 158. Helenam et Andromedam simul in scenam datas esse ostendit Sch. Thesm. 1012, uno fere anno ante hanc fabulam Aristophanis commissam.

([81]) Conf. Fritzsch. ad Thesm. p. 284 sq.

([82]) Thesm. v. 1012 *πάντως δέ μοι τὰ δέσμ᾽ ὑπάρχει*, ut supra v. 851, *πάντως δ᾽ ὑπάρχει μοι γυναιχεία στολή*.

Ac magna sane ars in eo cernitur, quod quum simillima sit apud utrumque poetam rerum conditio, praeterquam quod tragoediae gravitas in ridiculum plane argumentum transfunditur, et res et ipsa etiam verba mirum in modum concinere videntur; unum aliquid de suo addidit, quo quidem utriusque loci vis comica multum augetur, quod tertiam fecit personam interloquentem, quam consentaneum est pervertere omnia atque in aliam partem accipere, quaecunque inter Euripidem eiusque socerum poetico illo lusu peraguntur ([83]).

Ac bonum sane factum quod Helena illa Euripidis superstes ad nostra tempora pervenit, eo enim uno factum est, ut de huius generis parodia accuratius statuere ac rectius iudicare possimus. Atque omnia quidem genera, de quibus supra exposuimus, hic coniuncta inveniuntur: versus plurimi sine mutatione, sed alio tamen ordine transpositi, alii singulis vocibus immutati, alii denique qui in Helena non leguntur ad eius poetae exemplar summa fide expressi. Quo in argumento pertractando quam egregie poeta comicus versatus sit, quamque prudenter vel in minimis rebus artis suae leges custodiverit, id singulatim atque ordine persequi longum est, nec explicari res potest nisi in loci ipsius perpetua interpretatione; quare pauca quaedam ex istis expromimus, quibus quae supra dicta sunt vel comprobentur vel perspiciantur accuratius. — Euripides igitur quum Helenam suam sic ordiatur: Νείλου μὲν αἵδε καλλιπάρθενοι ῥοαί, | ὃς ἀντὶ δίας ψακάδος Αἰγύπτου πέδον | λευκῆς τακείσης χιόνος ὑγραίνει γύας, duos quidem priores versus ementita illa Helena in orationem suam adscivit (v. 855 sq.), tertium ludibrii causa sic mutavit: λευκῆς νοτίζει μελανοσύρμαιον λεών, ut perverse Aegyptus quam nigro esse solo constet alba dicatur et per sequentem dictionem albitiei contrariam risus captetur ([84]). Procedunt reliqua argumento fabulae quam maxime coartato usque ad eum locum quo Menelaus et Helena se invicem agnoscunt. Ea vero agnitio non spe metuque anceps, sed plana est tamque vulgaris ut commode in comoedia locum habere potuerit.

Itaque quae apud Euripidem leguntur v. 557-565:

([83]) Quod vero Fritzschius parodiis his effici vult, „ut iustus rerum ordo turbetur et confundantur diversa, iungendo discerpendoque omnia corrumpantur", et hoc esse plane parodiae contendit „ut delphinum silvis appingat, fluctibus aprum" (v. Comm. ad Thesm. p. 337, 338, 491), id citra veritatis fidem extulisse V. Cl. neque iustis argumentis evicisse putandus est. Prudentius ac probabilius Welckerus de Graec. trag. p. 645 de Andromeda loquens: „Ein besonderes Interesse erhält diese Tragödie dadurch, dafs in den Thesmoph. des grofsen Gegners, so wie in andern Komödien von dem Bellerophontes und Telephos, das komische Gegenbild von ihr erhalten ist, worin mit der höchsten Laune die Personen vertauscht, ihre Reden vermischt, die Situationen zersetzt sind." — Ac sane universum argumentum in angustiorem formam constringitur et in ludibrium convertitur, ut agnoscas eius parodiae insigne exemplum, cui recentiores ab omni habitu et quasi vestitu transmutato nomen indiderunt (Travestie); at singula ista temeritate omnia misceri et conturbari vix dixerim.

([84]) De prologo Helenae conf. Müller l. l. p. 157. Carpit hos tres versus etiam Aristides in Aegyptio II p. 442 Dind.

M. τίς εἶ; τίν' ὄψιν σὴν, γύναι, προσδέρκομαι;
'Ε. σὺ δ' εἶ τίς; αὑτὸς γὰρ σὲ κἄμ' ἔχει λόγος. et duobus v. interiectis:
M. Ἑλληνὶς εἶ τις, ἢ 'πιχωρία γυνή;
'Ε. Ἑλληνίς· ἀλλὰ καὶ τὸ σὸν θέλω μαθεῖν.
M. Ἑλένῃ σ' ὁμοίαν δὴ μάλιστ' εἶδον, γύναι.
'Ε. ἐγὼ δὲ Μενελάῳ γε σ'· οὐδ' ἔχω τί φῶ·
M. ἔγνως ἄρ' ὀρθῶς ἄνδρα δυστυχέστατον. —

haec tantum non omnia ad verbum in suam fabulam transtulit v. 905 sqq. sed ut est in ludificando calumniandoque effusissimus, unum versum singulari sententiae acumine quamvis cum soni similitudine mutavit, quum Helenam suam dicentem faciat: ἐγὼ δὲ Μενέλεῳ σ', ὅσα γ' ἐκ τῶν ἰφύων. Itaque Menelaum eum agnoscit, qualis ex Euripidis foro olitorio prodierit, eaque criminatione plane ex more suo et matrem oleris venditricem et Euripidem ipsum tanquam circumforaneum aliquem nugatorem sugillat.(85) His vero egregie concinit versus qui sequitur, quo dicit Menelaus illam recte se hominem miserrimum cognovisse; ac persimile iocandi genus est in Vesp. 46.

Sequuntur haec apud tragicum:

'Ε. ὦ χρόνιος ἐλθὼν σῆς δάμαρτος ἐς χέρας.
M. ποίας δάμαρτος; μὴ θίγῃς ἐμῶν πέπλων.

at comicus poeta qui inde ab eo loco istis fabulae implicationibus uti non amplius poterat, iam quum ad eventum festinet quae desperat tractata nitescere posse relinquit, laetitiae tantum et desiderio mulieris describendo immoratur. Qui igitur in fabula nostra subsequuntur versus:

ὦ χρόνιος ἐλθὼν σῆς δάμαρτος ἐς χέρας
λαβέ με, λαβέ με πόσι, | περίβαλε δὲ χέρας,
φέρε σε κύσω· ἄπαγέ μ' ἄπαγ' ἄπαγ' ἄπαγέ με —

ab Aristophane ipso profecti sunt, sed maxime ad Euripidis similitudinem, cuius est in dochmiis versibus syllabas solvere compositi; simul vero in crebra unius vocis repetitione prava Euripidis consuetudo ridetur, quali ratione in Helena dixit v. 650 sq. (667 Herm.)

πόσιν ἐμὸν ἐμὸν ἔχομεν ἔχομεν, ὃν ἔμενον | ἔμενον ἐκ Τροίας πολυετῆ μολεῖν.(86)

Simili fere ratione in parodia Andromedae versatum esse poetam hunc probabile est, quamquam hanc quidem fabulam inter pulcherrimas Euripidis relatam fuisse constat.(87) Ac singula hic quoque ad verbum translata, alia ab ipso artificiose efficta

---

(85) Conf. Müller l. l. p. 260; nec sine causa fieri videtur ut quum plerumque in parodiis tragicae vocabulorum formae serventur, ubique tamen tragicus Menelaos communi ac vulgari Μενέλεῳ cesserit (cf. v. 867, 901). Quod contra h. l. statuit Fritzschius.

(86) De repetitionibus huiusmodi cf. Eur. Helen. 664, 670, 684 cet.

(87) Ar. Ran. 53 ibique Schol. τῶν καλλίστων Εὐριπίδου δρᾶμα ἡ Ἀνδρομέδα. Adde Lucian. Conscrib. hist. C. 1, Athen. XII p. 537 D. (Fritzsch. Thesm. p. 508, Welcker Graec. trag. p. 667 sq.)

esse, veterum commentatorum loci fidem faciunt. Uni Echus personae, quam Euripides ipse in Andromeda introduxerat (Thesm. v. 1060. sq.) maiores concessisse partes eoque novum iocandi genus idque latissime patens repperisse videtur. Nam fingit eam quum lugubres Andromedae voces tum horridulas Scythae custodis minas repercusso sono ocius referentem, in eoque ita versatur ut Euripidem ipsum audire nobis videamur, singulas voces geminare et in affectibus agendis eadem verba repetere solitum. Quamvis vero hanc quoque partem comoediae egregia arte adornaverit, tamen quum ex singulis locis nihil proficiamus ad parodiam nova ratione illustrandam, his iam proferendis supersedeo.(88)

Iam ad cantica accedimus ad Euripidis exemplum expressa, quorum duo sunt in Thesmoph., eaque parodiae ex Andromeda derivatae initium faciunt, alia duo in Ranis exstant. — In Thesmoph. alterum (v. 1015-1021) Euripides ipse tanquam Perseus canit, in altero (v. 1022-1055) Mnesilochus qui vinculis illigatus magna animi perturbatione tenetur, modo ex Andromedae persona, modo ex sua loquitur, ut prouti rei natura fert nunc masculino nunc femineo genere utatur.(89) — In eo quanta arte Aristophanca cum Euripideis consociata sint, integro carmine perlecto sentimus et rectius fortasse intelligeremus, si omnes loci qui ex Euripidis tragoedia hausti sunt, accurate a grammaticis notati essent. Quam continuatae parodiae rationem singuli loci, quo modo ab Euripide scripti videntur, uno conspectu cum Aristophaneis compositi planius ostendent, in quo Fritzschii opera multum nos adiuvari grati confitemur.

Eurip.		Aristoph.
φίλαι παρθένοι, φίλαι	v. 1015:	φίλαι παρθένοι, φίλαι
πῶς ἂν ἀπέλθοιμι καὶ		πῶς ἂν ὑπέλθοιμι καὶ
[τὸν πόσιν] λάβοιμι;		τὸν Σκύθην λάθοιμι;
Ἄνοικτος ὃς τεκών σε τὴν	1022:	Ἄνοικτος ὅς μ' ἔδησε τὸν
πολυπονωτάτην βροτῶν		πολυπονώτατον βροτῶν.
μεθῆκεν Ἅιδᾳ ματρὸς ὑπερθανεῖν.		
— — ὁρᾷς, οὐ χοροῖσιν	1029:	— — ὁρᾷς, οὐ χοροῖσιν
οὐδ' ὑφ' ἡλίκων νεανίδων		οὐδ' ὑφ' ἡλίκων νεανίδων
[ἱστῶν κερκίδ'] ἕστηκ' ἔχουσ',		ψήφων κημὸν ἕστηκ' ἔχουσ',
ἀλλ' ἐν πυκνοῖς δεσμοῖσιν ἐμ-		ἀλλ' ἐν πυκνοῖς δεσμοῖσιν ἐμ-
πεπλεγμένη κήτει βορὰ		πεπλεγμένη κήτει βορὰ
[ποντίῳ] πρόκειμαι.		Γλαυκέτῃ πρόκειμαι.
εἴθε με πυρφόρος αἰθέρος ἀστὴρ	1050:	εἴθε με πυρφόρος αἰθέρος ἀστὴρ
[τὴν δύσμορον] ἐξολέσειεν.		τὸν βάρβαρον ἐξολέσειεν.

(88) Conf. Fritzschius ad Thesm. p. 472 sqq. — Fragmenta Andromeda disposuerunt et explicaverunt Fritzsch. ibid. p. 494-517, Welcker de Graec. trag. p. 644-668.

(89) Recte hoc iam Brunckius vidit ad v. 1022. Conf. Fritzsch. Thesm. p. 422 sq.

